

2. D. B. V. Pub. 7. num. 22. 10

DISSERTATIO

DE

OBLIGATIONE

ET POTESTATE REGIS RO-

MANORVM IN GENERE,

OCCASIONE

PROOEMII CAPITVLATIONIS

JOSEPHI,

QVAM

SVB PRÆSIDIO

VIRI CELEBRATISSIMI

D. FRIDERICI NITZSCHII

PHIL. ET JUR. D. ET PROF. PUBL. COM. PAL.

CÆS. CONSIL. ET ASSES. SUMMI HASSIÆ

APPELLATIONUM JUDICII

PATRONI, HOSPITIS ET PRÆCEPTORIS

SVI OPTIMI

PVBL. ERVDITORVM DISQVIVISIONI

SVBMITTIT

FRIDERICVS LVDOV. WALDNER

DE FREVNDSTEIN

DIE VI. JANVARI ANNO M DCC.

IN AVDITORIO SOLENNI

GISSÆ HASSORVM.



Excud. JOH. REINHARDVS VVLPIVS, UNIV. TYPOGRAPH.

FRID. LVDOV. WALDNERO
DE FREVNDSTEIN,

SCHWEIGHVSII, SIRENZII, BER-
VILÆ, BERTSVILÆ, WECKENTHALII

ET OLVILÆ DOMINO

PARENTI SVO OPTIMO,

DEVM RITE PRECATVS,

UT EVM,

CVM MATRE PIENTISSIMA,
SEMPER INCOLV MEM, SANVM HILA-
REMQUE PRÆSTET,

AC OMNIBVS ABVNDANTISSIME REBVS
CVMVLET, QVIBVS HVMANA CONSVMMATVR
BEATITAS,

PVBLICA PIETATE,

DISSERTATIONEM HANC,

GEV FRVGI ME GNATVM FACERE PAR EST,

LIBENS MERITOQVE

DO, DICO, CONSEURO

FRIDERICVS LVDOV. WALDNER
DE FREVNDSTEIN.



COMMENTATIO
AD
CAPITULATIONEM
JOSEPHI
ROMANORUM REGIS
AUGUSTI;
ET QUIDEM AD EJUSDEM
PRINCIPIUM SEU PROOEMIUM;
DE
POTESTATE ET OBLIGATIONE
REGIS ROMANORUM IN GENERE.
CAPUT I.
DE NOMINE ET TITULO REGIS
ROMANORVM.

I. **D**ispositio Capitulationis. 1.
Diviso Prooemii seu Principii in tria Capita, quorum,
1. *Agit de Profitente obligationem & Potestatem.*
2. *De Causâ.*
3. *De Professione ipsâ. 2.*

II. *Josephi idem quod Augusti Nomen 3. & 4.*
Quid significet id Nomen? 5.
III. *Augusti vox Nonnullis ab augurio derivatur & avium gestu 6.*

E 2

Et

4 **CAP. I. DE NOM. TIT. ET REGIS ROMANOR.**

Et est verbum Sacrorum, 7.

*Sed melius ab augendo deriva-
tur & probatur.*

1.) *Ex Testimonio Svetonii 8.*

2.) *Ex adjectione particula Sem-
per. 9.*

3.) *Ex Tautologia aliàs secutu-
ra 10.*

4.) *Quia molâ falsâ aucta sacra,
consecrata & angusta diceban-
tur. 11.*

*Unde Augustus rectè vertitur
Mehrere des Reichs 12.*

IV. *Titulus Curialis est, quando
Principes dicunt Nos 13.*

*Quod 1. vel modestiæ adscribi-
tur. 14.*

*Hispanorum Rex subscribit in
Numero singulari. 15.*

*Vel 2. quod Personam represen-
tantem populum gerant. 16.*

*Principes in familiari alloquio
etiam utuntur Numero singu-
lari. 17.*

*Vel 3. ex honoris exhibitione
traxit ortum. 18.*

*Jam Plinii Secundit temporibus ob-
tinuit Ille mos. 19.*

*Tuisatio Inferioritatem innuit
stylo Curiali. 20.*

V. *Titulus Dei gratia quibus compe-
petat. 21.*

*Etiam competit illis, qui limita-
tam habent potestatem, modo
summam. 22*

*Adeoque & Imperatori & Regi
Romanorum. 23.*

*Imò & Electoribus & Principibus
Imperii, & quare? 24.*

*Quare Prelati & Comites Imperii
illo titulo abstineant? 25.*

*Quid de Exemplis antiquis senti-
endum? 26.*

*Non multum interest siue Titu-
lus Dei gratia Nomini Proprio
pre- an postponatur. 27.*

Stylo Cesareo postponitur. 28.

*Præponitur plerumque in Titulis
Principum. 29.*

VI. *Intertitulos reales refertur Ti-
tulus Regis Romanorum. 30.*

*Varia acceptio Regis Romano-
rum. 31.*

*Diversa Cæsaris & Regis Ro-
manorum Appellatio Carolinis
temporibus adscribenda. 32.*

VII. *Titulus Semper Augusti apud
Græcos & Romanos Imperato-
res frequens fuit. 33.*

Etiam Carolus M. eo usus est. 34.

*An Imperator dicatur Semper Au-
gustus, Rex vero Romanorum
tantum Augustus. 35.*

*Respondetur ad Constitutionem
Friderici de Pace Constantia. 36*

VIII. *An Rex Germaniæ à Rege Ro-
manorum differat. 37.*

Ratio dubitandi. 38.

Rationes decidendi. 1. 2. 3. 4. 39.

*Commoda affirmativa sententia, &
quare Maximilianus I. Titu-
lum Regis Germaniæ assump-
serit. 40.*

Rectè

CAP. I. DE NOM. ET TITUL. REG. ROMAN.

Rectè tamen Comitata Germania
dicuntur Imperialia. 41.
IX. Tituli Regis Hungariæ, Dal-
matizæ & reales reliqui remis-

sive tanguntur. 42.
Habetur verò in Capitulatione
Titulus Regis Romanorum
minor. 43.

§. I.



Capitulatio JOSEPHI ROMANORUM
REGIS AUGUSTI semetipsam in Prin-
cipium, Tractationem & Finem seu Epilogum
dispescit. Principium, de quo impræsentia-
rum agimus, generaliter continet Regis Ro-
manorum Professionem Potestatis & Obliga-
tionis suæ; Tractatio porrò Obligationem & Po-
testatem ipsam in certos & quidè XLVII. divisam Articulos; Finis
verò seu Epilogus Obligationis Confirmationem. Circa Professio-
nem obligationis se primò omnium ostendit ILLE; Qui publicè
obligationis suæ Professionem facit, in verb. *Wir bekennen offentl.
mit diesem Brieff und thun fund Männiglich*; postea consideranda
erit CAUSA illius obligationis & exinde factæ Professionis; &
denique ipsa PROFESSIO seu Promissio. Persona quæ obliga-
tionem profitetur, est JOSEPHUS, REX ROMANORUM
AUGUSTUS, cujus Augustum Nomen æquè ac Titulum pau-
cis attingemus.

§. 2. JOSEPHI Nomen est Regi Romanorum Augusto; 3
Optimum sane, & quod Exemplar illud omnis Pietatis, Ju-
stitiæ, Fortitudinis & Prudentiæ Josephum Patriarcham Jacobi
Filium refert, Gen. 30. v. 23. seqq. cap. 37. 39. seqq. Et uti Jose- 4
phi nomen in Linguâ Sanctâ, Augusti Nomen innuit, quod et-
iam observat D. Fritschius ad Proæm. Capitulationis Josephi, dum
descendit ab Hebraicâ voce, quæ idem denotat, atque addat vel
addet juxta textum Gen. 30. v. 24. Ita etiam addet Imperio quon-
dam suo Josephi non tantum Virtutes, uti Augusti vocem expli-
cat

A 3

6 CAP. I. DE NOM. ET TITULO REG. ROMAN.

cat Lampadius de Rep. Rom. Germ. P. 3. cap. 1. n. 1. sed etiam felix & Augustum Regimen, ita ut imitetur omninò Serenissimum Dn. Patrem, Invictissimum Cæsarem, LEOPOLDVM MAGNVM, Multorum Regnorum & Provinciarum à Barbaris Recuperatorem fortissimum, ut verè sit Imperio dicaturque Josephus, hoc est, Augustus Cæsar.

6 §. 3. Non me quidem latet, non omnibus æquè patere, quosensu C. Octavius Cæsar, cum aversatus esset Domini Titulum, tanquam odiosum, glorioso Augusti nomine fuerit contentus; Et sanè vix placebit omnibus quod Augustum ab *augendo* derivemus; sed fortè potius arridebit, quod vox Augusti sit verbum Sacrorum ab *augurio* seu *avium gestu* derivatum, ita ut idem quod *sanctus* seu *consecratus* denotet, unde & Augusti dicuntur quasi nunquam non colendi, Venerabiles & religiosâ observatione digni, in Nov. 134. & alibi; quo & spectat locus apud Ovidium lib. 1. Fastor. vers. 609.

*Sancta vocant Augusta Patres, Augusta vocantur
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.*

Et quando Florus lib. 4. cap. ult. in fin. de Augusto dicit: *Tractatum etiam, inquit, in Senatu, an quia condidisset Imperium Romulus vocaretur: sed sanctius & reverentius visum est Nomen Augusti, ut scilicet jam tum, dum colit terras, ipso nomine & Titulo consecraretur.* Sed quia tamen (1.) Ipsi Scriptores Romani dubitant, an ab *Augurio*, an vero ab *Auctu* derivetur vox Augusti: Ita enim Suetonius in Augusto cap. 7. de Ipso scribit: *Cum quibusdam consentibus, Romulum appellari oportere, quasi & Ipsum Conditorum Urbis prevaluisset; Vt Augustus potius vocaretur, non tantum novo, sed etiam ampliore cognomine, quod loca quoque religiosa, & in quibus auguratio quid consecratur, augusta dicantur,*
9 *ab auctu vel ab avium gestu, gustive.* Et præterea (2.) Adjectio Particulæ *Semper* vel *Perpetuò* significationem *augendi* potius quàm *inaugurandi* innuere videtur, cum qui semel consecratus

cratus

CAP. I. DE NOM. ET TITUL. REG. ROMAN. 7

cratus est, non opus habeat ulteriori, multò minus perpetuâ consecratione. Nec (3.) sine Tautologia per *Semper* vel *Perpetuò Augustum*, perpetuò Venerabilem seu colendum intelligere licebit, cum Augusti dicantur Venerabiles & *Αὐγυστεῖος ἀειοθέσασσι* seu colendi, in *Novell. 134* & *J. fin. 7. de Usucap.* adeoque Venerabiles perpetuò Venerabiles incongruè dicti essent. Hinc rectius *Augustus* ab *Augendo*, uti *Venustus* à *Venere* & *Robustus* à *robore* dicitur. Utut enim vox *augendi*, quatenus Augustus inde derivatur, verbum sacrum fuerit, cum *augere* dicebatur *consecrare* propterea, quod *Sacra* & *Hostiæ Ethnicorum*, dum consecrabantur, mola *salsâ* adspangebantur, adeoque immolari, augeri & *ma-*
ctæ inde dicebantur, uti huc facit locus *Suetonii* in *Augusto cap. 96.* ibi: *cum augeri hostias imperasset.* Et vetus Inscriptio: *Siquis huic ara donum dare, augereque volet;* Utrobique tamen ab *augendo* descendit; Ita ut non immeritò vox *Semper Augusti* Germanicè allezeit *Mehrer des Reichs* vertatur; Hæc enim *Ver-*
sio vocis originalem & propriam, illa verò ortam significacionem & *Tropicam* respicit. Et hæc de *Nomine Proprio Regis Romanorum.*

J. 4. Titulos quod concernit, sunt illi partim *Curiales*, quos sibi tribuit Rex Romanorum, partim *Reales*. Inter *Curiales* primo loco occurrit *Compellatio* in *Plurali*, *WJK.* Solent enim *Principes* de semetipsis loquentes, *Numero Plurali* uti; Cujus usus ratio datur *moralis æquè ac Politica*, ut & *Curialis*. Nonnulli enim *modestix* adscribere voluit, quasi eo ipso ostendant, non se solos, sed se suumque *Consilium* id quod proponitur; decernere, quemadmodum eam in rem *Erasmus Roterodamum* citat *Felmannus de Titulis Honor. cap. 67. n. 1.* Quo referri posset illud, quod pro fastu *Hispanico* Nonnulli interpretentur, quod *Rex Hispaniæ* inter *modestiores Gentes* ferè solus, in *singulari*, suppresso *Nomine Proprio*, se subscribat *To el Rey; Ego Rex.* Alii verò cum *Limnao de 7. Publ. lib. 4. cap. 6.*

16 cap. 6. num. 6. & Thoma Hobbes in *Leviathane*, quò & facit cap.
 Ejus *ult. de Homine* ei adscribunt, quod Principes non personam
 singularem sed plures, totumque adeo populum repræsentent,
 duplicemque gerant personam, naturalem scilicet seu singularem
 17 & Civilem seu repræsentantem. Unde & Principes, si quem
 comiter observant, in privato alloquio vel etiam in Literis in
 18 Numero singulari solent alloqui. Modus ille compellendi ali-
 um in plurali Numero, uti honorem aliquem Politicum attri-
 buere videtur; ita etiam adversus superiores primò adhibitus,
 19 postea etiam ad æquales prorepfit; Et quidem jam Trajani &
 Diocletiani Imperatorum temporibus occurrere Exempla ex
 Plinio Secundo & Capitolino probat *Limnaus d. cap. 6. num 4.*
 quemadmodum & Epistola Johannis, Pontificis Romani, ad Im-
 peratorem Justinianum, Hujusque ad illum responsoria in *L. 8.*
C. de Summ. Trin. eundem Stylum præ se ferunt. Inde ne mi-
 nus Sibimet Iphis tribuerent Principes, quam alii Iphis tribuere,
 usavenire cœpit, ut & de semet Iphis in Numero Plurali loque-
 20 rentur. Uti verò alium in Plurali Numero compellendi ab ini-
 tio Superioritatem innuere est visum; Ita contra in singulari
 aliquem compellare posse, inferiorem illius conditionem stylo
 Curiali ostendere videtur, unde etiam *Jus Tuijandi* natum est,
 quod Imperator, exceptis Electoribus, adversus Principes, Co-
 mites aliosq; Imperii subditos exercet, de quo plura addere super-
 sedemus; adeat qui volet præter Citatos *Multzium in Repræsent.*
Majest. Imperat. Part. 2. cap. 30.

21 §. 5. Titulus *Dei gratiâ von Gottes Gnaden* / vel simi-
 les, ut *divinâ favente Clementiâ, divinâ ordinante Providentia,*
permissione vel indulgentiâ, Aus Gottes Verhängnis / vel *aus*
Gottes Erbarmung, Dei beneficio, Dei nutu &c. qualia Exem-
 pla quam plurima videre licet apud *Goldast. in Constit. Imper. in.*
primis Part. 3. absque dubio Principibus Majestatem sive pro-
 priam sive saltem analogam habentibus competit, adeoque vi-
 cariam

CAP. I. DE NOM. ET TITUL. REG. ROMAN. 7

cariam Dei in terris potestatem, quam à Deo habent, Eique non
 immeritò humiliter recognoscendo, acceptam referunt, indicat.
 Qui ipse Titulus non tantum Illis Principibus, qui magis absolu- 22
 tam in Terris potestatem gerunt, sed etiam Illis competit, qui re-
 stricto & limitato gaudent Imperio, cum & Hi potestatem suam,
 quippe summam, immediatè à Deo habeant, prout in *Dissert. præ-*
lim. c. 4. §. 9. demonstravimus. Unde non tantum Gallia- 23
 rum & Hispaniarum Monarchis, sed & Imperatori & Regi Ro-
 manorum competit, utut hi magis limitatam habeant potesta-
 tem. Quid? quod & Electores & Principes Imperii, quod in 24
 Consortium Imperii sint asciti, & superioritate territoriali, tan-
 quam Majestate quadam analogâ, ut singuli gaudeant, præroga-
 tivâ illâ non immeritò utuntur, cum Prælati, Comites & Civita- 25
 tes Imperii à Formulâ illâ abstinent, quod potestatem illam, quæ
 de Imperio ipsis est communicata, non singuli & personaliter,
 sed Curiatim habere & exercere censeantur; Saltem Praxis Impe-
 rii ita usâ observare solet, utut æquali in territorio suo potestate
 gaudeant. Quamvis non ignorem Exempla, quæ de Eberhar-
 do Comite Wurtembergico, de Burchardo, Comite quodam de 26
 Hohenberg, de Comitibus Oldenburgicis, de Decano Ecclesiæ
 Moguntinensis, aliisque, recensentur apud *Mylers. de Princip. &*
Stat. Imperii cap. 31. §. 4. Dn. Eybenium beatæ memoriæ in *Dis-*
fertatione de Origine Regula: Quod Princeps tantum possit in
 Territorio &c. *Klock. de Contrib. c. 4. n. 146.* *Gräfl. Stollbergische*
Deduction wegen Königstein in Beylagen N. 3. Talia vero tum
 temporis ad modum Styli Curialis obrigisse, vix probari poterit.
 Præterea non multum interesse videtur, Sive Titulus *Dei gra-* 27
tia præponatur Pronomini & Nomini Proprio, sive hoc præ-
 ponatur Titulo: Hoc tamen observare licet, Stylo Cæsareo 28
 solennius esse, ut præponatur Nomen Proprium, Titulo *Dei*
gratia, quod non tantum in Procemio Capitulationis Josephi,
 sed & in aliis Capitulationibus, Mandatis & Edictis Cæsareis ob-
 B servare



servare licebit, & ubi formula sic habet: *Wir Joseph von Gottes Gnaden/Wir Carl der Fünffte von Gottes Gnaden*: Cum Titulis Principum plerunq; Titulus, Dei gratiâ, Pronomini & Nominini Proprio præponi soleat, ita: *Von Gottes Gnaden Wir N. N. Herzog ic.* vel sic: *Wir von Gottes Gnaden N. N.*

§. 6. Ad Titulos *reales* Regis Romanorum Josephi progressum facimus; ubi (1.) occurrit Titulus *Regis Romanorum electi Erwehltet Römischer König*. Diversam Nominis Regis Romanorum significationem observare licet, dum 1. Ipsi olim Imperatores promiscuè dicti fuere Reges vel Imperatores Romanorum; Et 2. Adhuc hodie Imperator ante Coronationem Rex Romanorum dicitur, prout hæc locutio in *Aur. B. cap. 2. & passim* occurrit, & Capitulationes eorum Imperatorum, qui vacante Imperio sunt electi, in Procemiis hoc ipsum clarè monstrant, 3. Denique illum Regem Romanorum in specie notat, qui vivo Imperatore est electus, quæ etiam significatio hujus loci est.

32 Quando verò diversa Cæsaris & Regis Romanorum cœperit Appellatio, cum olim, uti *Cujacius lib. 2. Obs. 15. in fin.* notat, Imperatorum Filii, vel qui in Consortium Imperii sunt asciti, potius dicti fuerint Cæsares, optima est illorum sententia, qui rem ad Caroli M. tempora referunt. Ille enim adhuc vivus Filium suum Primogenitum, Pipinum, Regem Italiae, & Ludovicum secundo genitum Regem Aquitaniae fecit, id quod postea legem dedit Familiae, ut Primogenito in Imperio Successuro daretur Regnum Italiae, etiam vivo Parente. Ita datum fuit Lothario ab Imperatore Ludovico Pio, item Ludovico Lotharii Primogenito; inde postmodum invaluit mos etiam Regem Romanorum vivo Imperatore in Imperio Electivo eligendi, quemadmodum ita vivente Patre electus est Otto II. Aliique; quæ opinio est *Pasquierii lib. 5. des Recherch. de la France Ch. 1. p. 505. & sequitur Limnæus de 7. Publ. lib. 2. cap. 15. n. 14.*

§. 7. De Titulo *Semper Augusti* non est, cur quidquam amplius


amplius addamus, cum supra §. 3. occasione Nominis satis de eo sit actum. Hoc tamen prætereundum non est, non tantum apud Græcos Imperatores elogium hoc familiare fuisse, ut semet dixerint Perpetuo seu Semper Augustos, uti eò facit *Subscriptio Proæmii Institutionum Justiniani*, Item *Nov. 60. 63. 66. & 83.* Sed etiam apud Romanos Imperatores non infrequens, uti videre est 34 apud *Symmachum lib. 2. Epist. 30. & L. 10. aliosq.* Imò & Imperatores Germanicos eum adhibuisse Caroli M. *constitutio Theodanis vihana de Pace Constituenda*, testis esse poterit, ubi legitur: *Imperator Carolus, Pius, Felix, Victor ac Triumphator, Semper Augustus*, prout extat apud *Baron. Tom. IX. Annal ad A. 806. n. 18. & Goldast. Tom. 1. fol. 10.* Ita ut hîc meritò deferere cogamur celeberrimum *Bæclerum in Notitiâ Imperii lib. 4. cap. 1. n. 1.* qui dicit, *Fridericum I. Augusti Nominis voculam Semper primum addidisse.* Neque hoc silentio hîc prætermittimus; Non fa 35 cere nos posse cum *Limnao*, qui in eo ponit differentiam inter Imperatorem & Regem Romanorum; quod Imperator dicatur semper Augustus, Rex verò tantum Augustus; de *7. Publ. lib. 2. cap. 15. num. 40.* Cùm contrarium ex Principio Capitulationis *Iosephi*, ibi: *Zu allen Zeiten Mehrer des Reichs* ut & Capitulationum illorum omnium, qui vivo Imperatore Reges Romanorum sunt electi, *Ferdinandi I. scilicet, Maxi- 36 miliani II. Ferdinandi III. IV. aliorumque pateat; Et quamvis in Constitutione Friderici & Henrici VI. de Pace Constantia Consuetudin. Feudalibus subnexa in pr. Exemplum occurrat; Ubi Fridericus Semper Augustus, Henricus verò Augustus dicitur, exinde tamen non est formanda Regula, maximè cùm evitandæ repetitionis ergò id ibi factum fuisse videatur; & veteres voce Augusti simpliciter æquè ac cum adjectâ particulâ Semper promiscuè sint usi.* 37

§. 8. Ad Titulum Regis Germaniæ quod attinet, notatu digna est illa quæstio: *Utrum Regis Germaniæ qualitas à qualitate*

Regis Romanorum sit distincta? Er quamvis cōincidere videantur ita, ut Imperium Romanum ipsum Regnum Germaniæ oblitescere, si non, quod Blondellus opinatur, tollere videatur, cum Imperium Romanum resideat apud Germanos, adeoque idem
 39 omninò sit Regem Germaniæ, vel Regem Romanorum dicere; Sed quia tamen 1. reipsâ differunt Imperium Romanum cujus est electus Rex Romanorum, & 2. ipsa Germania, ex se Regnum Europæ nobilissimum, utut qualitas Imperii ibi non resideat, cujus Rex est Rex Germaniæ, Nec 3. Imperium Romanum obscurare potest auctoritatem Germaniæ, dum ita subdita credi possit ejus, cujus tamen est Domina, Quin imò Papa plus sibi Juris in Germania quàm in Galliâ vel Hispaniâ adscribere non
 40 potuit, quàm quod nonnullis falsò persuaserit, Germaniam cum Imperio à se dependere; Hinc si hæc melius & citius distincta fuissent, minus turbarum inde cepisset Germania, ita ut hæc incommoda evitare volens Maximilianus I. Imperator, Titulum Germaniæ Regis Titulo Imperatoris vel Regis Romanorum optimo
 41 Consilio addiderit. Non tamen immeritò propter incorporationem Imperii Romani Germaniæ factam, rectè dicuntur Comitia Imperialia, quæ sunt Germaniæ, & Imperator, qui est Rex Germaniæ, vid. Conring. de Imp. Rom. Germ. cap. 12. Boecl. in Diss. de S. Rom. Imp. Burgold. ad Instr. P. Part. 1. pag. 176. seq.

42 §. 9. Sequuntur nunc alii Regis Romanorum Tituli reales, quando salutatur Rex *Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, Archi-Dux Austriae; Dux Burgundiae, Stiriae, Carinthiae, Carniola & Wurttembergiae; Comes Habsburgi, Tirolis & Goritiae &c.* Quos singillatim percurrere & simul docere potuissimus, quo jure Singulæ illæ Terræ ad Serenissimos Archi-Duces Austriae pervenerint; quod jam olim facere intendimus, dum Anno 1682. Dissertationem publicam de *Titulis Magnatum realibus in genere* in hac Gissenâ habuimus. Sed ne extra Oleas vagemur & prolixiores hîc, quàm par est, simus, maximè cum quædam

dam illæ Terræ sint exoticæ, remittimus in quibusdam ad *Limæi Commentaria ad Capitulationum Proœmia*, inprimis verò ad *Tobia Pfanneri Tractatum de Præcipuis Germaniæ Principum Gentibus cap. 1. de Gente Austriacâ*. Hoc saltem tangendum pau-
cis, adhibitum hîc esse Titulum Romanorum Regis minorem, qui pro arbitrio pro diversa tamen Negotiorum, Ipsius Regis nomine expediendorum, adhiberi solet, cum longè major sit, qui in Privatorum literis ad Ipsum datis, vel etiam si res deposce- rit, in gravioribus Negotiis, quæ per modum Edicti seu Mandati expedienda veniunt, usurpatur.



CAPUT II.
DE CAUSA ET FUNDAMENTO
OBLIGATIONIS ET POTESTATIS
REGIS ROMANORUM.

I. Fundamentum obligationis & Po-
testatis Regie est Pactum. 1.
Quod initum est inter Regem Ro-
manorum & Electores 2.
Mediante Electione & Accepta-
tione. 3.

II. Pactum fit oblatis Acceptatio-
ne. 4.
Quod probatur ex naturâ pacti
& Legibus. 4.
Electio pariter ac acceptatio in
Laudem Dei & utilitatem pu-
blicam est facta. 5.

§. 1.

Porro in Proœmio Capitulationis JOSEPHI, Romanorum
Regis Augustissimi, occurrit *Causa & Fundamentum obliga-
tionis pariter ac Potestatis in Regem Romanorum delata*; Quæ est
Pactum seu Conventio; Quæ Deo ita dirigente intercessit inter
Laudatissimum Regem Romanorum *ex unâ*, & Electores Sacri
Romani Imperii *ex alterâ parte*; Dum scilicet ab *Hac Parte facta*


B 3

est

3 est *Electio* Archiducis Austriae, tum jam Regis Hungariae, Serenissimi in Regem Romanorum *in verbis*: Als wir aus Schickung Gottes des Allmächtigen / durch die vorgenommene ordentl. Wahl zur Ehr und Würde des Römischen Königlichem Namen und Gewalts erhoben / erhöhet / und gesetzt sind. Ab illâ verò Parte *Acceptatio Electionis facta per verba*: Deren wir uns auch / GOTT zu Lob / beladen.

4 §. 2. Inde enim Pactum & Conventionem induci, natura Ejus docet, dum exinde Consensus obligatorius nascitur, quem ab Unâ Parte *Electio* certis conditionibus facta, & ab Alterâ Parte ita acceptata parit, & præterea L. 1. §. 2. & 3. ff. de Pact. L. in omnibus ss. ff. de Obl. & Act. confirmat, acceptationemq; vim habere contractus docent Natta Vol. 4. Consil. 683. num. 3.

5 Cothmann. Vol 1. Consil. 60. n. 73 seqq. Aliique. Et quemadmodum *Electio* in Textu describitur ut *divina*, ut ex causis prægnantibus suscepta, & denique ut *ordinaria*, ibi: Aus Schickung Gottes des Allmächtigen / durch die / aus bewegenden kräftigen Motiven und Ursachen vorgenommene ordentliche Wahl; Ita etiam *Acceptatio* ratione finis sui, quod in Dei nempe laudem & Imperii Romani Honorem, Christianæ quoque Gentis & Nationis Germanicæ, Publicamque Salutem facta sit, non immerito laudatur *in verb.* Deren wir Uns auch GOTT zu Lob / dem heiligen Römischen Reich zu Ehren / und um der Christenheit und Teutscher Nation, auch gemeinen Nutzens / willen beladen.



C A P. III. DE SUBJECTO ELECTIONIS ACTI- VOS. PERSONIS ELIGENTIBVS.

I. In *Electio*ne occurrunt Eligentes horumque Titulus, Ordo & Observatio Singularis, 1.

Titulus Curialis est, quod Electores salutentur Hochwürdig. 2.

Olim

- Olim non nisi Titulo der Ehrwür-
digen maectati. 3.*
- In Capitulatione Caroli V. & Fer-
dinandi I. legitur Titulus der
Hochwürdigem und Ehr-
würdigem, & quare? 4.*
- An exinde argumentum prece-
dentie pro Cardinalibus S. R.
Ecclesia peti possit? 5.*
- II. *Electores Seculares vocat Rex
Rom. Durchläuchtig. 6.*
*Imperatorem verò Allerdurch-
leuchtigst. 7.*
*Quando ille Titulus cœperit, &
Latinè Serenissimus? 8.*
- III. *Rex Romanorum Electores et-
iam salutatur Neven, und D-
heim. 9.*
*Cujus denominationis ratio tri-
plex. 10. 11. 12.*
- IV. *Rex Romanorum Imperatorem
vocat Ihre Majestät / sed
Electores Ihre Liebden. 13.*
*Quando cœperit titulus Majesta-
tis? 14.*
*Quomodo Imperator Reges salu-
tat? 15.*
Quid hodiè observetur? 16.
- V. *Tituli reales vel spectant Offi-
cium vel Terras? 17.*
Quid sit Archi Episcopus. 18.
*Quot sint Archi Episcopi hodiè in
Imperio Romano. 19.*
*Qui sint Suffraganei Mogunti-
ni? 20.*
*Qui sint Suffraganei Treviren-
sis? 21.*
- Qui Coloniensis? 22.*
Qui Salisburgensis? 23.
Qui Vefontini? 24.
- VI. *Electores Ecclesiastici sunt etiam
Archicancellarii. 25.*
*Officium ipsorum in Curia Impe-
riali. 26.*
*Electorio & Archicancellarij
Jure statim gaudent, quando
sunt electi. 27.*
*Capitulum sede vacante Officia illa
non exercet. 28.*
*Tempore Electionis Josephi quis
Sedem Moguntinam habu-
erit, & quis hodiè? 29.*
Quis Trevirensis? 30.
Quis Coloniensem? 31.
- VII. *Officia Secularium Electo-
rum. 32.*
Rex Bohemia Archi Pincerna. 33.
Dux Bavaria Archi Dapifer. 34.
*Dux Saxonie Archi Mareschal-
lus. 35.*
*Marchio Brandenb. Archi Came-
rarius. 36.*
*Comes Palatinus Rhemi Archi-
Theaurarius. 37.*
- IIIX. *De Titulis Electorum realibus
remissivè. 38.*
*Electo Bavaria & Electo Pala-
tinus Titulis utuntur in verso
more. 39.*
- IX. *Ordo Electorum in Sessione
est, ut Præsentes preferantur
Absentium Legatis. 40.*
*Probatur ex textu A. B. ratione &
decisione Comitrali. 41.*

Salvo

Salvo Directorio, ordine Laterani
& Votorum. 42.

X. Qui fuerint Legati Electorum
Absentium in Electione Jose-
phi? 43.

XI. Capitulationi Josephi interfuit
Rex Bohemiae. 44.

Unde defendi hoc possit? 45.

Et quomodo, eo non obstante, com-
munis sententia defendi que-
at? 46.

XII. Quid de origine Electorum
statuendum? 47.

Qua sententia probabilior? 48.

Ejusq; fundamenta. 49.

S. I.

- 1 **C**irca Electionem considerandæ sunt 1. *Persona Eligentes*, qua-
tenus vel ipsi Electores, vel per suos Ablegatos, in Electionis
negotio fuere præsentis, ibique notanda tam *Titulus*, quam
- 2 *Ordo*, nec non *Observatio Singularis*. Quoad *Titulum Curia-
lem Honorificum*, & quidem *in Concreto talem*, hoc notare licet,
quod Electores Ecclesiastici à Rege Romanorum in textu salu-
tentur *Titulo, der Hochwürdigem / cum olim non nisi Titulo der
Ehrwürdigem /* uti ex Capitulationibus Caroli V. & sequentium
Imperatorum ad Ferdinandum III. usque videre licet, fuerint
salutati, ita ut primâ vice in Electione Ferdinandi IV. stylus re-
periatur immutatus, ubi *Titulus der Hochwürdigem* Ipsi coepit
- 4 attribui, idque postea continuatum. Equidem in Capitula-
tione Caroli V. & Ferdinandi I. occurrit *Titulus der Hochwür-
digen und Ehrwürdigem*; Sed quia tum temporis inter Ecclesia-
sticos Electores Albertus Moguntinus Archiepiscopus, etiam
Romanæ Ecclesiæ Cardinalis fuit, *Titulus der Hochwürdigem* re-
spectu Moguntini additus videtur, cum in Capitulatione Maxi-
miliani II. & subsequentium Imperatorum *Titulus ille* rursus
sit omissus, adeoque solum *Titulum der Ehrwürdigem* ibidem
- 5 videre liceat; *add. hâc Feltmannus de Tit. Honor. cap. 48.* Non
quasi exinde argumentum alicujus ponderis petere liceat, Car-
dinales dignitate præcellere Electores Imperii, quod in *Lege Im-
perii fundamentali*, ubi præprimis Electorum est negotium,
major

major Titulus attribuatur Cardinalibus quam Electoribus; cum jam dudum contrarium demonstravit Joannes Freinshemius de *Prae. S. Rom. Imperii Electorum & S. Rom. Ecclesiae Cardinalium Diatrib. 5.* Sed saltem eatenus id valeat; quatenus sunt Archiepiscopi, & quod Cardinales dignitate vincant Archiepiscopos, non verò Electores, cum Tituli illi Hochwürdig & Ehrwürdig sint Tituli Ordinis Sacri & Clericorum, non Electorum quæ talium.

§. 2. Electores porrò Seculares Rex & Imperator Romanus hodiè compellat Titulo Durchleuchtig / quod tempore Ferdinandi III. demum cœpit, in Cujus quippe Capitulatione primum illa vox hisdem attributa legitur, cum ante illa tempora Titulus Hochgebohrn Iphis tribuatur. Imperatori verò, Cujus quoque in Proœmio Nostro, tanquam Regis Bohemiæ, inter Electores occurrit mentio, non tantum à Principibus & Electoribus, sed etiam, uti ex Textu videre est, ab ipso Romanorum Rege attribuitur Titulus Aller Durchleuchtigst; Qui Titulus in Seculo XIV. tempore Caroli IV. & Wenceslai natus dicitur, quamvis Maximilianus I. in *Reformatione Wormatiensi de A. 1495. Die Frey-Schöpffen und das heimliche Gerichte zu Westphalen betreffend/Fridericum III. Imperatorem appellet den Durchleuchtigsten in pr. circ. fin.* Latinè redditur *Serenissimus*; Qui Titulus jam apud antiquos Romanorum Imperatores in usu fuit, uti ex *L. 6. C. de Praeser. 30. vel 40. annor. ubi Anastasio, & l. 23. §. 4. C. de Nupt. & L. 7. C. de Bon. qua lib. patet, ubi Justiniano tribuitur. Et quod Carolinis temporibus Imperatoribus familiaris fuerit, vide apud Bœcler. in Notit. Imperii Lib. 4. cap. 1. num. 1. pag. 84. Quemadmodum & Rex Romanorum Imperatorem appellat Unsern Gnädigen Herrn Vater/cum Maximilianus I. in simili dixerit Unser lieber Herr Vater d. l. & Ferdinandus I. Carolum V. Unsern lieben Bruder und Herrn in Capit. in pr. vocaverit.*

§. 3. Alio quoque Titulo Curiali in concreto sed Substantivo

C

stantivo

- stantivo Rex Romanorum salutatur Electores, ut scilicet Eos dicat Liebe Neven / Oheimen und Chur-Fürsten *juxta Text. Proæmii Nostri*. Et Maximilianus I. *d. l.* ad Electores & Status Imperii ita: Ehrwürdige / Hochgebohrne / Ehrfame / Edle / liebe Neven / Oheimen / Chur-Fürsten / Fürsten / Andächtige und Getreue:
- 10 Cujus compellationis ratio variè quidem disquiri solet, & *Limneus de 7. Publ. lib. 3. cap. 3. n. 36.* postquam *Heigii* Opinionem *l. 1. qu. 4. n. 62.* rejecit, hanc esse dicit, quod uti Electores Politicos ex cognationis vel necessitudinis vinculo vocat Oheimen; Ita Ecclesiasticos, quod sint Imperii Sororis, Ecclesiæ scilicet, Filii,
- 11 adeoque ex Sorore Nepotes; Neven appellet; vel quia Nepos etiam avum maternum denotare, apud *Ditmarum* in *Chronico* dicitur *Limnæo ad Capit. Caroli V. in Proæm. ad voc. Neven*, Avunculus verò Matris fratrem, & eum, qui loco Parentis est; Ita non immerito Electores Ecclesiastici Nepotes seu Patres, & Se-
- 12 culares Avunculi, seu Qui sunt Parentum loco, vocentur. Sed quicquid hujus sit, Solenne est Principibus eos, quos affectione prosequuntur, *Consanguineorum, Patris, Filii, Fratris, Amici* nomine salutare; Unde sine dubio appellatio illa Curialis trahit originem, quam *Ruperti* temporibus primùm adhibitam esse observant. *vid. Heigium & Limn. in loc. cit.* quibus add. *Freinsheim. de Prac. Elect. Diatr. 3. th. 19.*
- 13 §. 4. Titulos *in abstracto*, uti vocari solent, quod attinet; Rex Romanorum Imperatorem vocat *Ihre Majestät* / uti reliquos Electores *Ihre Liebden*; Quem Majestatis Titulum jam
- 14 *Friderici II.* temporibus Imperatori datum observat *Bœclerus* in *Notitiâ S. R. Imperii lib. 4. cap. 1. num. 1. pag. 85.* quamvis à Statibus Imperii promiscuè etiam fuerit usurpatus Titulus *Euer Kaysertlichen Gnaden* *vid. Peckenstein. in Theatr. Saxon. part. 1. cap. 16. Lehmann. in Chron. Spir. Lib. 4. cap. 10. p. 300. Edit. in fol. add. Rec. 7. de A. 1500. Art. 82. §.* Und wir Chur-Fürsten 3. ubi Maximilianus I. vocatur *Seine Königliche Gnaden*. *Ferdinandus*

nandus I. Carolum V. Imperatorem, fratrem, vocat, *Ihre Lieb-
den und Käyserl. Majestät* / prout apparet ex *Capitulatione* dicti
Imperatoris *Ferdinandi I. in pr.* Contra Imperator Regem Ro- 15
manorum pariter ac Reges Exteros salutat *Ihre Königl. Würde*
uti eò facit *Capitulatio Ferdinandi I. in princ.* quod & Status Im-
perii universim considerati, quoad Exteros, sunt imitati, quem-
admodum *Consultatio Comitialis* docet in *Act. Publ. Londor-
pii Part. V. pag. 125. seqq. add. Arum. de Comit. cap. 3. num. 44.*
Quamvis hodiè post *Instrumentum Pacis Westphalicæ & Exte- 16*
ris Regibus Titulus *Majestatis* attribui soleat, uti constat ex *Instr.*
Pacis tam Osnabrugensi quàm Monasteriensi art. 1. & passim, ut &
ex *Tractatu Neomagensi art. 1. & Pace nuperrima Rysvicensi*. Et
hæc de *Titulis Curialibus impræsentiarum* sufficiant!

§. 5. Quod porro *Titulos Electorum reales* concernit, 17
spectant illi vel ad *Electorale Officium*, vel ad *Terras Electorum*,
quas vel possident, vel in *Ipsas* prætendunt; *In Electoribus Eccle-
siasticis* duplicis officii in *textu* fit *mentio*, ut nimirum dicantur
Archi-Episcopi & Archi-Cancellarii Imperii. *Archi-Episcopi* sunt 18
Præsules Episcoporum unius Provinciae, uti ex *Can. 1. dist. 21.* no-
tat *Lancellotus in Instit. Jur. Canon. lib. 1. Tit. 5. §. 2.* In *Imperio*
Romano inter *Archi-Episcopos* eminent *Moguntinus, Treviren- 19*
sis, Coloniensis & Salisburgensis. Quos inter *Moguntin^o* in *Ecclesi- 20*
asticis suffraganeos habet *Episcopos Herbipolensē, Wormatien-
sem, Spirensē, Eichstadensem, Argentinen-
sem, Constantiensem, Augustanum, Hildesiensem, Paterbornensem & Curiensem; Tre- 21*
wirensi verò *Archiepiscopo* subsunt *Episcopus Metensis, Verodu-
nensis & Tullensis*, quippe *Cujus* *salvum* mansit *jus Metropoli-
tanatus*, per *Instr. P. Monasteriense §. Primò quod 70.* Et *Coloni- 22*
ensi *Episcopus Leodiensis, Osnabrugensis & Monasteriensis; Sa- 23*
lisburgensis porro *Suffraganeos* habet *Frisingensem, Ratisbonen-
sem, Pataviensem, Tridentinum, Brixiensem, Gurcensem, Chie-
mensē,*

menseni, Seccoviensem, Laventinum & Viennensem Episco-
 24 pos; *vid.* Bucelinum in *Germania Sacra Part. 1. fol. 2. 24.*
 & 33. Pels. *de Jurisd. Episc. Germania Tit. 2.* Ziegler. *de Episcop.*
lib. 4. cap. 22.

§. 6. Porrò etiam Moguntinus, Trevirensis & Coloniën-
 25 sis, ArchiEpiscopi, sunt *ArchiCancellarii Imperii*, Et Moguntinus
 quidem per Germaniam, Trevirensis verò per Galliam & Colo-
 niensis per Italiam, uti testatur *A. B. cap. 2. §. 2. cap. 1. §. 11. & 12.*
 Quorum unusquisque baculum, in quo Sigilla vel Typaria Im-
 26 perialia seu Regalia appensa sunt, manu contingit & ante Impe-
 ratorem vel Regem reverenter in mensam ponit, Illo in cuius
 ArchiCancellariatu Curiam ipsam celebrati contingit, in me-
 dio procedente, aliis duobus ex alterutro latere subjun-
 ctis. Rex verò Sigilla Iphis statim restituit, & Is, in Cujus Ar-
 chiCancellariatu Curia est, Majus Sigillum collo appensum us-
 que ad finem mensæ gestat. Baculus verò argenteus duode-
 cim marcas habens in pondere, unà cum Sigillis & typariis, nec
 non cum Equo mittitur Cancellario Imperialis Curiaë, vel po-
 tius ViceCancellario, cujus officium est Sigilla & typaria Impe-
 rialia custodire, & Instrumentis atque literis Imperatoris, nomine
 suo subscripto, apponere, cum rarò hoc Ipse Imperii ArchiCan-
 cellarius, interdum tamen, facere soleat, de quibus videatur *A. B.*
cap. 27. §. 2. & ibi Limnæus. Item Mallinckrot. de ArchiCan-
 27 *cellariis Imperii part. 2. pag. 113.* Et hoc, perinde uti Electorio
 Jure, statim ac legitimè, communi vel plurium Capitularium suf-
 fragio, sunt electi, gaudent, antequam à Pontifice sint confirmati
 vel Pallium sit acceptum, quia neutrum jus exercent ut Episcopi,
 unde nec sede vacante Capitulum id habet, licet in iis, quæ ut
 28 Episcopus exercet, eadem possit Capitulum *cap. un. de Majorit.*
& Obed. in 6. & cap. 6. X. de Constitut. sed ut Electores Imperii,
 vi ac virtute Feudorum Regalium, quæ ab Imperatore & Impe-
 rio

rio immediatè possident. *vid. A. B. cap. 7. §. 2. cap. 20. Arum. disc. 1. ad A. B. th. 24. & de Comit. c. 4. n. 103. Schutz. Vol. 1. Diss. 7. th. 7. lit. L. Sprenger. in Synopsi cap. 9.* Tempore Electionis Josephi Romanorum Regis in *Præsulatu Moguntinensi* sedebat Reverendissimus Princeps Elector ANSHELMUS FRANCISCUS ex Generosissimâ Familiâ Baronum de INGELHEIM prognatus, quam Sedem hodiè tenet Reverendissimus Princeps Elector, LOTHARIUS FRANCISCUS, Episcopus Bambergensis, ex illustri Baronum de SCHONBORN Familiâ progenitus. *Trevi* 30
rensis verò *ArchiEpiscopus* hodiè adhuc per Dei gratiam est Reverendissimus Princeps Elector, JOHANNES HUGO, Episcopus Spirensis, Administrator Prumiensis & Præpositus Weissenburgensis &c. Imperialis Camerae Judex; ex illustri Baronum de ORSPECK Familiâ oriundus. *Sedem denique Coloniensem* 13
 habet Reverendissimus & Serenissimus Princeps Elector JOSEPHUS CLEMENS, Dux Bavariae, Comes Palatinus Rheni &c. Et hæc de Electoribus Ecclesiasticis hîc sufficiant, quoad reliqua quæ hîc cumulari multa possent, Lectorem Benevolum ad Commentatores ad A. B. maximè verò ad *Dn. Thulemarium de Octoviraturam* remitto.

§. 7. Officia Secularium quoque Electorum in textu 32
 exprimuntur; Ita ut S. R. J. ArchiPincernæ, ArchiDapiferi, ArchiMareschalli, ArchiCamerarii, & ArchiThesaurarii ibidem 33
 fiat mentio. *Rex enim Bohemiae est S. R. Imperii ArchiPincerna Erzh. Schenck* / & in celebratione Curiae Imperialis primū Potum, Vinum scilicet aquâ permixtum, Imperatori porrigit, per A. B. c. 27. §. 5. qui hodiè est Sacratissimus Imperator LEOPOLDUS, Orbi Christiano ex *Ferdinando III. & Mariâ Philippi III. Hispaniarum Regis, Filiâ* Anno Christi 1640. d. 9. & 19. Jun. fausto sidere à Deo datus, & Anno 1656. d. 14. Septembris Rex Bohemiae & S. R. J. Elector factus & creatus; *Dux verò Bava-* 34
ria per Instrumentum Pacis Westphalicæ art. 4. est S. R. Imperii Archi

ArchiDapifer & Elector Erh Truchseß / & in Coronatione Regiã de Bove affato cibos, in quatuor scutellis, mensæ Regiæ apponit; juxta A. B. cap. 27. §. 4. Qui hodiè est Serenissimus MA. XIMILIANUS EMANUEL Superioris & inferioris Bavaria nec non Superioris Palatinatûs Dux, Comes Palatinus Rheni &c. Natus Anno 1662. d. 11. Julii ex Ferdinando Maria, Electore Bavarie & Henrietta Adelheidâ, Victoris Amadei, Ducis Sabaudie Filiâ. Porro Dux Saxonie est S. R. J. ArchiMareschallus, & Elector, Erh Marschall / qui in Solenni Imperiali Curiâ mensuram argenteam avenâ plenam accipit, & primitus venienti dat famulo, Equo Imperatoris ministraturo, juxta A. B. cap. 27. §. 1. Qui tempore Electionis Josephi Romanorum Regis fuit gloriosissimæ memoriæ Princeps & Elector Johannes Georgius III. Dux Saxonie, Julia, Clivia & Montium, Burggravius Magdeburgensis, &c. qui in Filio Serenissimo, S. R. J. Principe & Electore, FRIDERICO AUGUSTO ex Anna Sophia, Friderici II. Daniæ Regis, pientissimæ memoriæ, Filiâ d. 12. Maji 1670. progenito, & d. 15. Septembr. in Regem Poloniæ coronato, hodiè floret & virefcit. Ulterius Marchio Brandenburgicus est S. R. J. ArchiCamerarius & Elector, Erh Cammerer / qui in celebratione Curie Imperialis malluvium argenteum cum gutturnio accipit, & aquam manibus abluendis Regi Romanorum præbet, Secularibus reliquis mantile interim tenentibus; Est hodie FRIDERICUS III. Marchio Brandenburgicus & Burggravius Noribergensis &c. ex gloriosissimæ recordationis Principe & Electore, FRIDERICO WILHELMO Marchione Brandenburgico, Duce Prussie &c. & Louysâ Henriettâ, Henrici Friderici, Principis Arausionensis Filiâ Anno 1657. natus. Denique est Comes Palatinus Rheni, qui S. R. J. Elector est & ArchiThesaurarius post Instrumentum Pacis Casar. Suec. Art. 4. §. Quod ad Domum Palatinam & Casar. Gall. §. Quod ad 13. Qui tempore Electionis Josephi Romanorum Regis

gis

gis fuit Serenissimus gloriosissimæ memoriæ Princeps & S. R. J. Elector, PHILIPPUS WILHELMUS Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariae &c. Augustissimi Romanorum Regis Josephi Avus maternus; Qui in Serenissimo S. R. J. Principe & Electore, JOHANNE WILHELMO, ex Serenissimâ Coniuge Elisabethâ Amaliâ, Serenissimi Georgii II. Landgravii Hasso-Darmstadini, pientissimæ memoriæ Principis, Filiâ, A. 1658. d. 19. Aprilis progenito, adhuc hodiè vivit. Serenissimum Principem & Electorem, GEORGIUM LUDOVICUM, Ducem Brunsvicensis & Luneburgensem &c. Reverendissimi & Serenissimi Principis, Ernesti Augusti, Episcopi Osnabrugensis & Ducis Brunsvigo-Luneburgensis, primi acquiritoris Electoratus, beat. mem. ex Sophiâ Palatinâ A. 1660. d. 28. Maji. Progenitum, cum Eius nulla in Proæmio Nostro mentio, lubens prætereo.

§. 8. Nunc etiam de Titulis Electorum realibus ratione Terrarum, quas possident, vel in eas prætendunt, tractandum esset; Sed quia tantum aliquarum in textu fit mentio, & præterea in Proæmio nobis nimirum prolixis esse non licet, hâc vice de iis aliquid tradere supersedemus, & potius ad supra laudati Tobie Pfanneri Tractatum de Præcip. Germaniæ Principum Gentibus cap. 2. 3. & 4. remittimus. Hoc tamen non omninò omittendum, ex 39 textu observari posse, Serenissimos Electores Bavarum, & Palatinum ferè eodem quidem uti titulo, in ore tamen converso; ita ut Electoris Baviaræ Titulus sit, Dux Bavariae, Comes Palatinus Rheni &c. Palatini verò hic: Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariae &c. Atq; hæc sufficiant de Titulis Electorum!

§. 9. De Ordine Electorum, cum ille in A. B. cap. 4. 6. 8. 40 9. 10. & 22. satis sit definitus, plura dicere est supervacuum. Hoc tamen occasione Principii Capitulationis Josephi observare licet, quod primo loco sint collocati Præsentes, postea verò Absentium Legati; Inde enim est, quod Electores Baviaræ & Palatinus sint prælati, & quidem Hic non tantum Legatis Saxonis & Bran-

Brandenburgici, sed etiam Uterque Legatus Imperatoris, tanquam Regis Bohemiarum, quod (1.) præter Textum *A. B. cap. 28. §. 6.* ubi dicitur, quod Nuncius Electoris absentis admitti quidem debeat, in mensam tamen vel sede mittentis non sedeat; Et (2.) rationem, quod Dignitas in Principe sit propria, in Legato verò saltem per representationem & Jure alieno; (3.) In Comitibus Ratisbonensibus A. 1653. d. 11. Martii res ita est decisa, ut salvo semper Directorio, salvoque Laterum & Votorum Ordine, absentium Electorum Legati cedant Electoribus presentibus; quemadmodum illam decisionem videre licet apud Autorem *der Grundfest des heil. Röm. Reichs Part. 2. cap. 4.* & apud Speidelium in

42 *Notab. voc. Præcedenz.* Habet enim Elector Moguntinus in Collegio Electorali Directorium, quemadmodum & Decanus Collegii vocatur ab Imp. Sigismundo, apud Londorp. *Act. Publ. Tom. 1. lib. 1. cap. 5. num. 22.* nisi quod in nonnullis causis & imprimis religionem Aug. Conf. concernentibus, etiam Electori Saxoniarum attribui solet *vid. Sprenger. in Lucern. mod. Stat. pag. 34. & Limn. lib. 3. cap. 10. num. 33. & ibi. Fritsch. & ad L. 9. cap. 1. num. 134. Grundfest des heil. Röm. Reichs Part. 2. cap. 4. p. 97.* Habet etiam Collegium Electorale sua Latera, Dextrum scilicet & sinistrum; Illud, quando Sessionem Suam, uti in Electionis Conclavi fieri solet, Electores habent, occupant Brandenburgicus, Bavarus, Rex Bohemiarum, si præsens est, & Trevirensis vel Colonienſis alternando; Hoc verò reliqui. Denique etiam habent Electores Ordinem Votorum in *A. B. cap. 4.* præscriptum, ita ut ad Rogationem Moguntini Elector Trevirensis Primum habeat Votum, Colonienſis secundum, Rex Bohemiarum tertium, Bavarus quartum, Saxo quintum, Brandenburgicus sextum, Palatinus septimum, & Moguntinus ad rogationem Electoris Saxoniarum octavum & ultimum. Ut ut ergo Moguntinus Elector per Legatum præsens est, tamen regulariter retinet Directorium; nec Elector Palatinus in Electione Josephi dextrum sessionis latus

occupavit, licet Rex Bohemæ & Brandenburgicus Elector à dextro latere abfuerint; nec ante Legatos Regis Bohemæ, Saxonis, & Brandenburgici, sed in septimo loco suam dixit sententiam.

§. 10. Qui verò Absentium Electorum Legati fuere, Illi etiam in Textu exprimuntur, adeoque nec hic nulla Eorum facienda mentio. In victissimi enim Imperatoris Leopoldi, tanquam Regis Bohemæ, Legatus fuit Dn. *Franciscus Udalricus*, Comes Kinsky à Kuniz & Zetta^w, Dominus in Klumaz ad Zittlinam, *Sacræ Casaræ Majestatis Consiliarius Intimus, Camerarius, Vicarius Regius, Provincialis Curia Regia Assessor, Appellationum Præses, Aulaque Regia in Regno Bohemæ Præfectus*; Jam olim A. 1679. ad Pacem Noviomagensis Sacræ Casaræ Majestatis Ablegatus. Serenissimi vero Electoris Saxonie Johannis Georgii III. gloriosissimæ memoriæ Legatus fuit, Dn. *NICOLAUS*, S. R. J. Banneresius & Liber Baro *DE GERSDORFF*, Dominus Baruthi, Hengersdorffi, Brettingæ, Hauswaldæ, Rackelii, Buchwaldæ & Beutelsdorffi, *Serenissimi Electoris Saxonie Consiliarius Intimus, Consilii Status Sanctioris Director & Supremus Superioris Lusatia Præfectus*; Serenissimi deniq; Electoris Brandenburgici Friderici III. Legatus fuit Dn. *SYLVESTER JACOBUS* à *DANCKELMAN*, olim in Academia Heidelbergensi Jurium Professor celeberrimus, postea Cameræ Spirensis Assessor & inde Serenissimi sui Electoris ad Comitata Ratisbonensia Ablegatus; nunc pie defunctus.

§. 11. Singulariter in hoc Procæmio Capitulationis Jo⁴⁴sephi circa Personas Eligentes observandum venit, quod in nullâ aliâ præcedentium Imp. & Regum Capitulatione occurrit; Scilicet, quod Sacratissimi Imperatoris Leopoldi, tanquam Regis Bohemæ, expressa in eo mentio fiat, cum tamen in conficiendâ & præscribendâ Capitulatione nullas videatur habere partes, prout jam in *Dissertatione Præliminari de Capitulatione Casaræ in genere Cap. 3. §. 8.* dictum. Aut enim inde patet, 45

D

quod

quod ad concludendam & præscribendam Regi Romanorum, Capitulationem fuerit admissus, idque exinde defendi possit, (1.) quod cum jus eligendi habeat, Electio illa non abstractivè sed cum obligatione ad Capitulationem eidemque insertis conditionibus, sit consideranda, uti in *dissert. Pralim. cap. 3.* dictum, & (2.) quod Conceptum Capitulationis Josephi Legato Regio Bohemico, perque Eundem Cæsareæ Majestati, tanquam Regi Bohemiæ, d. 22. Januarii, biduo ante Electionem sit communicatum, quæque ad illud in *Artic. 4. 5. 6. 12. 17. 34. 35. 40. 43. & 47.* observaverit monenda Rex Sacratissimus, ab Electoribus præviâ deliberatione partim sint attendita; quodque (3.) in præcedentibus Capitulationibus, & quando Regi Bohemiæ, communicatum est Conceptum Capitulationis, id præviâ perlectione sine ullis monitis reliquis Electoribus restituerit, hoc Juri Ejusdem aliquid monendi præjudicare nequit, cum communicatio illa non censeatur frustra fieri, sed potius eum in finem, ut si quid occurrat, quod moneat, id faciat; Imò (4.) quod Rex Bohemiæ non tantum, quando Capitulatio Regi Romanorum noviter electo præsentatur, sed etiam, quando solennem & juratam ad Eandem promissionem præstat, absque omni omnino exceptione nunquam non sit admissus. Aut verò admissio illa non est obtenta & tum distinguendum inter Electionem ejusque confirmationem & inter Capitulorum conclusionem seu præscriptionem; Ita ut Regis Bohemiæ in Procemio saltem propterea fiat mentio, quod Electionis actus ibidem recensetur, & quod ad Capitulationis præsentationem, Regisque Romanorum ad eandem obligationem concurrat; unde tamen concludi non posset; quod etiam ad deliberanda & concludenda Capitula concurrere debeat, benè tamen nihilominus in Procemio dicatur, etiam de Rege Bohemiæ, quodcum Rege Romanorum de Capitulatione convenerit; Quæ verò altioris videntur esse indaginis,

§. 12. Antequam materiam de Electoribus finiamus, non est omnino prætereunda vulgaris quidem sed vexata *Quæstio de Electorum Origine*. Sed quia in Proœmio Nostro nulla de eâ dicendi se offert occasio, breviter eam & primis, quod dici solet, labris attingemus, B. L. ad Christophorum Gevvoldum de Electoratu, *Schwederum in Introd. Jur. Publ. Part. Spec. Sect. 2. cap. 2. §. 2.* Thulemarium de Octoviratu cap. 7. vel etiam ad *Bæclerum in Not. S. R. Imperii lib. 6. cap. 1. & Nostras in Eum Notas* remittentes. Ibi enim videri poterit, quam varia occurrat Scriptorum eâ de re opinio, quidque contra Singulos opponi soleat & possit. Si tamen certum aliquod tempus, ubi cœpit septem Electorum inclytum Collegium, statuendum, Probabiliorem sententiam Nos putamus esse illam. *Quod Electione, Regum Romanorum, in Conrado I. cœpta, postea Ottonis III. ævo, Lege quidem Jus eligendi Germanis sit confirmatum, penes tamen plures & potiores Imperii Principes adhuc permanserit, donec Ottonis IV. vel Friderici II. ætate numerus Electorum lege est determinatus; Ottonem enim III. Potestatem Romanorum Imperatorem eligendi Principibus Germaniæ dedisse ex Martino Polono, Leopoldo de Babenberg, Joanne Trithemio, Nauclero, Platina aliisque docent Schardius de Elect. Germ. Princ. & Gevvoldus de S. R. 7. Electoratu cap. 6. & facit eò celebris Rerum German. Scriptor Huldéricus Mutius lib. 14. de Germania; in Tom. II. Pistoriano. Monstrant verò Temporum illorum Historiæ post Ottonem III. Electionem Regum Romanorum fuisse penes plures & alios Principes Imperii, quàm postea sunt determinati. Imò post mortem Henrici V. Imperatoris Edictum Principum Imperii de obitu Imperatoris Henrici V. Augusti & Novâ Electione faciendâ, exstat apud Goldast. in Constit. Imperial. Tom. I. pag. 259. ad Annum Christi 1126. unde colligi potest, jus penes universos Imperii Principes Eligendi Imperatorem tunc temporis adhuc resedisse; Et non ab Electoribus postea determinatis electum esse Ottonem IV. docet quoque Arnoldus in*



Chron. Slav. lib. 7. cap. 15. ubi dicit: Omnes igitur Principes qui convenerant ac si divinitus inspirati, voto & unanimi consensu Ottonem in Romanum Principem & semper Augustum elegerunt. Præterea quoque Principum Imperii Diploma de Electione Ottonis IV. apud Goldastum Tom. 1. fol. 287. & Gevoldum de Elect. cap. 7. pag. 723. idem statuit. Quod verò tempore Ottonis IV. vel saltem Friderici II. Imperio numerus Electorum sit determinatus probat Constitutio dicti Ottonis apud Goldastum in Constit. Imper. Tom. III. ad Ann. 1209. pag. 371. ex communicatione tñ māv Marquardi Freheri, quæ hæc est: Imperatorum nullus hereditariam dignitatem vindicato; Principes Sex: Sacri Ordinis Tres; Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis; Profani totidem: Comes Palatinus Rheni, Dux Saxonie & Marchio Brandenburgensis Eum deligunt, Hi si discordes fuerint, Bohemie Regem cooptant. Quam confirmat Testimonium Alberti Stadensis Abbatis aa Annum M. CC. XL. in Chronic. dicentis: Ex Præstatione Principum & Consensu (mediante quo jus eligendi illis concessere) eligunt Imperatorem; Trevirensis, Moguntinus & Coloniensis; Palatinus eligit, quia Dapifer est, Dux Saxonie, quia Marscalcus, & Marggravius de Brandenbourg, quia Camerarius. Rex Bohemia, qui Pincerna est, non eligit, quia non est Teutonicus. Quæ ad verbum fere leguntur quoque in Speculo Saxon. circa illa tempora compilato, lib. 3. Art. 57. addatur Martinus Polonus, qui vixit Friderici II. ætate in Vita Ottonis III, & de eo Cardinalis Baronius Tom. X. Annal. ad Ann. 996. Quam etiam penè sententiam sequitur Johannes Freinshemius de Præced. Elector. & Cardin. Diatrib. 3. §. 27. seqq. Ita ut in Comitibus Veronæ A. M. CC. XLV. habitis legem illam latam fuisse statuatur; Nec displicet Clarissimo & harum rerum peritissimo, nunc pie defuncto Viro Boeclero in Notit. S. R. 7. lib. 6. cap. 1.

CAPUT IV.

DE SVBJECTO PASSIVO, PERSONA sc.
ELECTA sc. REGE ROMANORVM.

- | | |
|---|---|
| <p>I. <i>Persona electa est Josephus, Archidux Austriae. 1.</i>
<i>Requiritur in Persona Electa habilitas, quae aestimatur ex Sexu, aetate, Profapia, Professione & Statu. 2.</i></p> <p>II. <i>Quae applicantur ad Regem Romanorum Josephum. 3.</i>
<i>Est ex Serenissima Germanica Profapia, & quali? 4.</i></p> <p>III. <i>An alium quam Germanum eligere in Regem Rom. liceat? 5.</i>
<i>Quaestio haec inter Moguntinum & Trevirenses tempore Electionis Caroli V. agitata. 6.</i>
<i>Fundamentum imprimis Moguntini fuit, quod Lege prohibeatur alium, quam Germanum eligere. 7.</i></p> | <p>IV. <i>Unde quaeritur: Quae illa lex? An scripta, an vero tradita? 8.</i>
<i>Testimonia eam in rem Hulderici Mutii & Francisci Irenici. 9.</i>
<i>Quae si vera, potius videtur lex expressa esse quam tacita. 10.</i>
<i>Strauchii & Baecleri Dissensus. 11.</i></p> <p>V. <i>Aetas Josephi Regis tempore Electionis. 12.</i>
<i>Quando natus, electus & coronatus? 13.</i>
<i>An aetas legitima XVIII. annorum? 14.</i>
<i>Quod negatur. 15.</i>
<i>Per Capitulationem tamen captum, ne, antequam 18. ingressus sit Annum Imperii habenas capesseret. 16.</i></p> |
|---|---|

§. I.

Porro circa Electionem consideranda est II. Persona Electa, quae est Serenissimus JOSEPHUS, Archidux Austria, jam tum Rex Hungariae &c. cujus breviter notanda habilitas, uti cap. 2. A. B. eam requirit & juxta dictam Auream Bullam, inque eam Commentatores, aestimatur (1.) ex Sexu (2.) Aetate (3.) Profapia (4.) Professione & (5.) ex Statu, de quo videantur Arum, Vol. 1. Jur. Publ. Disc. 6. Limn. de Jur. Publ. lib. 2. cap. 2. & Tom. 1.

D 3

Addit.


Addit. pag. 208. Add. Nota Nostra in Myler. de Princip. & Stat. Imper. cap. 8. §. 8.

- 3 §. 2. De Sexu, Professione & Statu, quod scilicet Mas, quod Christianus, quod Laicus sit, non est, cur aliquid addamus, cum ea, quæ manifesta sunt, non egeant probatione *cap. super eo 3. X. de Testib. cog.* Quemadmodum nec in Hypothesi ratione Prosapia illustris Germanica, aliquid monendum, cum notum sit, Serenissimum Regem ex Stemmata Austriaco & Palatino utroque Serenissimo, esse oriundum, Patre scilicet LEOPOLDO, Invictissimo Romanorum Monarchâ, & Matre Augustissimâ ELEONORA MAGDALENA TERESIA, Filiâ Serenissimi nunc piè defuncti Electoris Palatini, PHILIPPI WILHELMI, ex Serenissimâ Coniuge ELISABETHA AMALIA, nata Landgravia Hassio-Darmstadina, Serenissimi Principis GEORGII II. Hassiæ Landgravii pientissimæ memoriæ Filiâ, progenitâ.
- 5 §. 3. In Thesi verò magnæ quæstionis est: *An scilicet alium quam Germanum eligere in Romanorum Regem liceat?* Quæ quæstio vehementer in præcedente XVI. seculo electionis Caroli V. tempore, est agitata; quando Franciscus I. Rex Galliarum & Carolus quoq; V. Rex Hispaniarum simul ambibant Imperium, Richardo scilicet Electore Trevirensi acriter pro Francisco, Alberto verò Moguntinensi Electore pro Carolo V. disputante;
- 7 Ubi inter alia Moguntinus hoc inprimis urgebat, quod Carolus V. utpote Maximiliani I. ex Filio Philippo I. Hispaniarum Rege Nepos, ex Gente Germanica esset; Franciscus verò pro peregrino Principe haberetur; *Ast Lege se prohiberi dicebat alium quam Germanum eligere;* quam etiam sententiam Electores reliqui approbarunt, quemadmodum Georgius Sabinus *de Elect. Caroli V. §. Hac Cum Gallici &c.* & Sleidanus *lib. 1. de Stat. Rel. §. Ubi ventum est,* commemorant.
- 8 §. 4. Exinde quæsitum ulterius est; *Qua sit illa lex? & An*

An sit scripta vel tradita? De quâ Huldericus Mutius in lib. 14. de Germaniâ ubi de Ottone III. agit, ita: *Huic, inquit, Constitu- 9*
tioni (scilicet de Electoribus) aliam addidit, volens patriæ digni-
tati consulere; sancivit enim, ut Soli Germani eligant; & non eli-
gant alium, quàm Germanis Parentibus natum. Et Franciscus Ire-
 nicus in *Exegesi Germania lib. 3. cap. 33.* ita scribit: *Ut eò diu-*
tius Imperium penes Germanos incalesceret, Legem dixerunt Im-
peratores; Ne externus unquam rerum summâ potiretur. Quos
 una cum Spangenberg. in *Chron. Sax. c. 154.* laudant Heigius in
Quest. illustr. Part. 1. qu. 5. Arum. Vol. 1. Jur. Publ. Disc. 6. &
Strauch. in Diss. Exot. 4. §. 4. & in Inst. Jur. P. l. 1. Tit. 3. §. 15. Unde,
 si hæc vera, dicendum: Expressam potius & scriptam Legem illam 10
 esse, quâ tacitam seu traditam, dum expressè sancita esse Mutio di-
 citur; tradita verò lex non tam sancitur; quàm introducitur; nisi
 fortè per Legem scriptam intelligere velis Legem, per scripturam
 publicatam, ita, ut sub tradita Lege etiam expressè sancitam com-
 prehendere possis; Quæ ipsa latius excussimus in *Notat. ad Bœcl.*
Notit. Imper. lib. 4. cap. 1. p. 94. ad quest. An alium quàm Germa-
num &c. seqq. Ubi verò laudatus Bœclerus Strauchium nimis
 facilem in credendo iis, quos laudat, esse dicit, cum noviores 11
 sint, & Exempla Alphonsi & Richardi in contrariū prostant; cui
 tamen respondere annitur in *Inst. 7. Publ. d. l. ut & Heigius d. l.*

§. 5. Ad *Ætatem* Regis quod attinet, tempore Electio- 12
 nis nondum XII. compleverat annum. Natus enim est, die 13
 decimo sexto seu vigesimo sexto Julii. An. 1678. Electus verò die
 14. seu 24 Januarii & coronatus d. 26. Jan. A. 1690. Dubium ergò ex 14
 Auræ Bullâ hoc oritur, quod secundum eam ætas octodecim
 demum annorum æstimari videatur legitima, quemadmodum
 de ætate Electorum statuitur in cap. 7. §. 2. A. B. Caroli IV.
 ut & in A. B. Sigismundi §. Et Talis Successio vers. *Ætatem.*
 apud Goldast. Tom. Un. Constit. fol. 145. vid. Rumelin. ad A. B.
 Part. 1. Diss. 7. th. 5. in fin. Sed quia A. B. de ætate Regis Ro-
 manorum

manorum nihil habet, à Personæ verò Eligentis habilitate ad habilitatem Personæ Eligendæ invalidū omninò ducitur argumentum, imprimis cūm Potestas Regis Romanorum, vivo Imperatore, Inviētissimo Leopoldo, quem ad seram usque senectutem vivere Boni sperant & vovent omnes! quiescat; Et exempla Regum Romanorum, qui 18. annorum ætatem nondum adimplere, Ottonis scil. III. aliorumque, prostant; Hinc ex 16 ætatis defectu inhabilitas aliqua allegari nequit. Interea tamen Capitulationi Josephi Artic. 47. est insertum: *Ne Regimen vel Administrationem Sacri Romani Imperii, Eodem forte vacante, in Præjudicium Vicariorum Imperii ante ingressum Anni ætatis Decimi octavi capessere præsumat.* Quamvis Imperator, uti Dn. Joannes Christianus Mülbener in *Præfatione Capitulationis Harmonicæ* observat, ad dictum Articulum per Legatum Suum Bohemicum monuerit, ut tempus illud anni decimi octavi ad annum decimum quartum restringeretur.



CAP. V.

DE OBJECTO, ET CAUSA ELECTIO-
NIS MATERIALI.

- | | |
|---|---|
| <p>I. Objectum seu Causa Materialis Electionis. 1.
Nomen Regium quale? 2.
Dignitas Regia qualis? 3.
Primas defert Imperatori, sed primas pretendit præ Regibus cæteris. 3.
Cui contradicunt Galli. 4.</p> | <p>III. An Potestas Regis Romanorum sit ordinaria, an delegata? 7.
Rationes pro delegatâ 1.2.3. & 4.8.</p> |
| <p>II. Potestas Regia quid sit? Eiusque ad administrandum necessitas. 5
Effectus Eius sunt Jura Majestatica & Regalia. 6.</p> | <p>IV. Ordinaria probatur
(1.) Ex Nomine Majestatis. 9.
(2.) Ex Plenitudine Potestatis. 10.
(3.) Quod dicatur ex Propriâ potestate agere. II.
(4.) Quod Reservata exerceat. 12
(5.) Quod multa attribuantur Impe-</p> |

- Imperatori vel Regi Romano-
rum. 13.
(6.) Quod eam Potestatem jure
suo habeat. 14.
(7.) A Simili, à Legato Pro-Con-
sulis Romani petito. 15.
V. Schützi Distinctio. 16.
Qua in eâ sit difficultas? 17.
Unde distinguitur inter Potesta-
tem & Exercitium. 18.
Declaratur à Simili Legati Pro-
Consulis. 19.
VI. An Potestas Regia Coronationi
Pontificis, an verò Electioni
adscribenda? 20.
Affirmatur posterius & proba-
tur. 21.
(1.) per Auream Bullam. 21.
(2.) per Capitulationem. 22.
(3.) per Constitutionem Ludovici
Bavari. 23.
(4.) Ex Regnorum Successione. 24.
VII. Quanta sit Potestas Regia in
specie & in genere. 25.

- In genere Potestas est Monarchica,
sed Aristocraticè limitata. 26.
A potiori verò desumenda Deno-
minatio; & quare? 27.
Respondetur ad Objectiones, unam
& alteram. 28.
VIII. An exui rursus Imperator
suâ Potestate possit, siue ab Ele-
ctoribus, siue ab omnibus Im-
perii Statibus? 29.
Rationes dubitandi ex dicto Mo-
guntini & Ottonis IV. 30.
Ut & ab Exemplis & naturâ Pa-
torum desumpta. 31.
Rationes Decidendi (1.) à Cau-
sa Efficiente Summae Potesta-
tis. 32.
(2.) A defectu Potestatis desti-
tuendi in Electoribus & Stati-
bus Imperii. 33.
(3.) A Potestate Caesaris absolutâ
petitæ. 34.
Exempla hîc nihil probant. 35.
Non tamen, quæ sunt limitata, sibi
arrogare potest Imperator. 36.

§. 1.

Uterius circa Electionem consideranda III. est *Causa mate-
rialis & Objectum* seu Res, ad quam Rex Romanorum est ele-
ctus, quæ est *Nomen, Dignitas & Potestas Regia*; & exprimitur his
verbis: *Zu Ehr und Würde des R. Königl. Namens und Gewalts* 2
erhoben. De Nomine hîc non est magnoperè laborandum, sed
sunt saltem repetenda illa, quæ supra cap. 1. §. 6. jam sunt tradita,
& quod in illo hîc sensu capiatur Nomen Regis Romanorum,
quando vivo adhuc Imperatore in Regem est electus; de quo
plura

E

plura

plura habemus in *Annotatis ad Boecler. Notit. Imperii lib. 4. cap. 1. num. 1. & cap. 2. in pr.* Quod verò ad *Dignitatem* attinet, exinde illa judicatur, quod Imperatori quidem primas meritò deferat, adeò ut Eum etiam Dominum Suum appellet, uti præter Capitulationem Josephi in *Proem.* ibi: *Unsern Gnädigen HERREN Vater & Ferdinandi I. in Proem.* ibi: *Unser lieber Bruder und HERR*; etiam testatur *R. 7. de A. 1555. in pr. & S. Solches alles 143. & passim*; Præ reliquis tamen Regibus contra Ipsi primas tribuant Doctores Juris Publici, uti probat *Besold. in Diss. de Præcedent. c. 2. n. 5. seqq. Limnæus lib. 2. cap. 15. n. 44. & prolixè Crusius de Præced. lib. 3. cap. 3. num. 10. seqq.* Contradicunt tamen Scriptores Gallici; *vid. Jacob. Gothofred. de Præc. part. 1. cap. 1. th. 4. Aubry part. 2. de la Preeminence des Roys de France.* Quæ latius excutere nostri nunc non est instituti. *Vid. rationes pro & contra apud dd. Autores & ibid. allegatos.*

§. 2. Potestas Regia est quasi complementum & efficacia Regiminis & administrationis Regie concessa; Uti enim Hæc, quæ hominum est imbecillitas, sæpè etiam perversitas & malitia, sine Illa cum effectu geri nequit; Ita etiam quo major est hominum multitudo, quoque magis perversa eorum pertinacia; Sic quoque major Potestas eos in ordine retinendi requiritur. Effectus ipsius, qui quasi quidam rivi ex fonte suo fluunt, dicuntur Jura Regia, Regalia seu Jura Majestatica, quæ sicuti Potestatem Summam tanquam Causam suam supponunt; Ita etiam hæc Officiū seu Obligationem Regiam, cui assistit, efficaciam & complementum addit, supponit; Unde quatenus ad illa obligatur Rex Romanorum, Officiū, quatenus autem Officio Illi efficacia est addenda, potestatis vel juris nomine venit; quamvis haud rarò utrumque sub Jurium Majestaticorum nomine comprehendendi videas.

§. 3. An verò Potestas Regis Romanorum sit ordinaria & propria; an delegata seu mandata? insignis est apud Doctores Juris Publici quæstio. Pro delegata seu mandata pugnat (1.) quod omnia

omnia ad mandatum Imperatoris facere dicatur. Ita enim *Ca- 8*
pitulatio Rudolphi II. art. 32. & Ferdinandi III. art. 49. habet:
 Wir sollen und wollen auch Uns keiner Regierung oder Admini-
 stration im heiligen Röm. Reich weiter oder anders unterziehen/
 Dann so viel Uns dessen von Käyserlichen Majestät vergönnet und
 zugelassen wird. *Add. R. 7. de An. 1555. §. Damit aber 4. §. und*
wiewohl 141. & §. Solches alles 143. ibi: Gereden und verspres-
chen Wir/ an stat und im Nahmen Ihrer Käyserl. Majestät. (2.)
Quod in Recessibus Imperii Imperatoris tantum nomine agere-
dicatur, uti huc pertinet R. 7. de A. 1557. §. 1. ibi: Haben wir im
Nahmen und an stat der Röm. Käyserl. Majestät einen andern
Reichs-Tag bestimmet. (3.) Quod Carolus V. cum An. 1555.
in Belgio esset, & interea Mandatum Regi Romanorum reli-
quisset, ad Commissarios suos, ad Comitata Augustana missos, ita
scripserit: Daß sie sich in solchen Fall gegen Ihren freundi. Lieben
Bruder den Römischen König/gedachten Käyserlichen Schreiben/
und gegebenen Gewalt in alle Wege gemäß verhalten wolten; un-
de ad mandatum quidem non verò ulterius obstricti fuisse vi-
dentur Commissarii vid. Literæ datæ Bruxellis die 9. Junii An.
1555. apud Lehman. in Reichs-Handlungen lib. 1. cap. 3. (4.)
Quod alias absurdum sequi videretur; Imperium habere duo
summa Capita adeoque Majestatem esse divisibilem.

§. 4. Pro Contrariâ tamen sententia & potestate ordina- 9
 riâ seu propriâ facit (1.) Quod Regi Romanorum Majestatis at-
 tribuatur Nomen non vanum sed cum effectu & potestate, uti
 passim ex Rubricâ Recessuum Imperii *de A. 1555. &c.* junctâ sub-
 scriptione Staruum Imp. videre & colligere licet. *vid. R. 7. de A.*
1548. & R. 7. de A. 1557. in Rubr. & fin. ubi eadem formalia in
 Recessu J. Cæsareo & Regio observantur. (2.) Quod dicatur uti 10
 plenitudine potestatis *R. 1. de A. 1542. §. Würd sich aber 102. ibi:*
 Aus Käyserlicher und Königlichem Macht und Vollkommenheit
 (3.) Quod ex propriâ potestate dicatur agere; Unde in *Capitu-*

- latione Ferdinandi I. Art. 2. ita habetur, Anstat Unsers lieben Bruders und Herrns / auch für Uns selbst; addantur R. I. de A. 1555. §. Solches alles 143. & loca, ubi formula illa occurrit, infinita, à *Limneo* collecta ad d. Cap. in voc. Auch für Uns selbst
- 12 sten num. 1. (4.) Quod ex Potestate propriâ Regalia Imperatori soli aliâs competentia, ur *jus creandi Nobiles, Barones, Comites &c. Jus erigendi Academiâs &c.* exerceat, juxta R. I. de An. 1548. §. Wie wohl auch 66. ibi: Daß die Grafen und Herren / Ihre Dignitäten von Uns und unsern freundlichen lieben Bruder / dem Römischen König empfangen. *Add. Ord. Cam. part. 1. Tit. 3.*
- 13 §. Desgleichen 2. (5.) Quod disjunctivè adscribantur multa vel Imperatori vel Regi Romanorum, & Ejusdem omninò effectûs habeantur. *Ord. Cam. Part. 1. Tit. 3. §. 2.* ibi: Die tezigere Kaysersliche Majestât / Oder UNS confirmiret R. 7. de An. 1555. §. Und sollen 64. ibi: Die Kaysersliche Majestât / oder in Deren Ab-
- 14 wesen aus dem Reich / UNS / (6.) Quod eam potestatem jure suo habeat, & quod in Regem Romanorum ab Electoribus sit electus; Unde etiam soli Deo eam fert acceptam; Ita enim Proœmium: Wir Joseph von Gottes Gnaden Römischer König; Talis verò potestas in Jure dicitur ordinaria non delegata
- 15 l. 5. & 6. ff. de Jurisdic. (7.) Quod uti Legatus Proconsulis, quamvis nomine Proconsulis administraret, ordinariâ tamen non delegatâ Jurisdictione id faceret, uti *Hahn. ad Wesenbec. in Pand. de Offic. Procons.* id probat; Ita simili ferè modo cum Rege Romanorum se habet.
- 16 §. 5. Ut ergò holce Scopulos evitare possit *Schutzium*, in Collegio Juris Publ. Disp. V. th. 2. seqq. distinguit (1.) inter Imperatorem presentem & non impeditum, & absentem seu impeditum; Ibi Imperatorem agere & Potestatem exercere, Regis autem Potestatem dormire & quiescere; Illic verò Regem suo nomine gubernare dicit; Adeoque secundum *Schutzium* Rationes obstantes de priori casu, quando Imperator præsens est &
- non

non impeditus, intelligendæ & explicandæ forent; Quando
 verò in posteriori casu, ubi suo nomine gubernat, suo solum no-
 mine administrat, subdistingvendum (2.) Inter Regem man-
 datum habentem ab Imperatore & minus; Ibi & nomine Impe-
 ratoris; hîc verò suo tantum nomine administrare dicit. Sed ¹⁷
 quia tamen Imperatoris est administrare Imperium, adeoque
 semper mandare censetur, sive generaliter sive specialiter; Dein-
 de in *R. 7 de A. 1557. §. Unde aber 2. Rex Ferdinandus 25. noscit*
 Mandatum Imperatoris, & tamen omnia suo nomine agere di-
 cit, non addito Imperatoris, nomine, in *§. So haben 8. §. So*
sehen 21. & §. Diesen Mängeln 78; Ita hæc distinctio difficul-
 tate non carere videtur. Unde (3.) distingui posse putamus ¹⁸
 inter *Exercitium & Potestatem ipsam*; Potestatem non mandari
 posse ab Imperatore, sed eam Regem Romanorum habere ab
 Electione & suo Jure; quamvis ut eam exercere hîc & nunc pos-
 sit, Imperatoris accedat mandatum sive generale sive speciale,
 necesse sit; quemadmodum Proconsul dicitur mandate Juris- ¹⁹
 dictionem, hoc est exercitium & actum secundum Legato suo
l. 4. §. ult. l. 12. l. 13. ff. de Offic. Procons. & Legati, Licet Lega-
 tus Proconsulis non mandatam sed ordinariam jure suo habue-
 rit Jurisdictionem, uti optimè demonstrat *Hahn. ad Wesenbec.*
in loc. alleg. Unde etiam varias occurrere in Imperiali Praxi for-
 mulas videmus, dum nonnullæ solius Imperatoris, tanquam
 Exercitium mandantis, Nonnullæ verò utriusque nomine, Im-
 peratoris nempe Exercitium seu actum secundum mandantis,
 Regis verò potestatem in actu primo jure suo habentis, sive con-
 junctivè, sunt conceptæ. *vid. præter Schutzium in loc. alleg.*
Limn. in Jur. Publ. lib. 2. cap. 15. num. 38. & pluribus in Tom. 2.
Addit. ad. d. num. & ad Capitul. Ferdin. 1. art. 2. verb. Auch fur
uns selbst. Uti etiam hanc quæstionem tractamus in *Annot.*
ad Bæcleri Notit. S. R. Imperii. Lib. 4. cap. 2. ad verb. Nihil potest
Imperatorium.

20 §. 6. Circa Potestatem Imperatoris & Regis Romano-
 rum hoc quoque quaeri solet: *An illa Coronationi Pontificia, an*
 21 *verò Electioni accepta ferenda?* Et sanè (1.) præter textum *A. B.*
cap. 2. §. 5. ibi: peractâ statim Electione, in quo Ipsi Potestas sta-
 tim Regia, administratio, virtus Imperii, Privilegiorumque, ju-
 22 *rium & Dignitatum confirmatio attribuitur; egregiè demon-*
strat & evincit (2.) Proœmium nostrum in verbis durch vorge-
nommene Wahl zu der Ehr und Würde der Römif. Königlichen
Gewalt erhoben / erhöhet und gesetzt / quod Potestas Regi Ro-
 manorum non ex Coronatione Pontificis, sed Electione tri-
 buatur, cum coronatione, tanquam ritu quodam solenni, decla-
 23 *retur potius, quam fiat Rex & Imperator, Accedit (3.) Constitu-*
tio Ludovici IV. Bavari apud Goldast. in Tom. 1. Constit. pag. 336.
& Tom. 3. pag. 409. ibi: Fallaciter asserentes, quod Imperialis di-
gnitas & Potestas est à Papâ, & quod Electus Imperator non est ve-
rus Imperator nec Rex, nisi prius per Papam seu Sedem Apostolicam
confirmetur, approbetur & coronetur. Ideò de Consilio & Con-
sensu Electorum & aliorum Principum Imperii declaramus, quod
Imperialis Dignitas & Potestas est immediatè à Solo Deo, & quod
de Jure & Imperii Consuetudine antiquitus approbata, postquam
aliquis eligitur in Imperatorem seu Regem ab Electoribus Imperii
concorditer, vel majori parte Eorundem, statim ex solâ Electione
est Rex novus & Imperator Romanorum censendus & nominandus,
 24 *nec Papa sive Sedis Apostolica aut alicujus alterius approbatione, con-*
firmatione, auctoritate indiget vel consensu. Si enim (4.) in
regnis successivis Successor statim à morte defuncti Prædeces-
soris Rex est, quare idem Electio quæ in illius locum surroga-
tur, operari non deberet? vid. Hermes in Fascic. 7. Publ. cap. 10.
n. 1. Arum. ad A. B. Disc. 2. Concl. 20. Limn. de Jur. Publ. libi 2.
cap. 4. num. 56. seqq. & quæ infra plura dicentur ad Art. 36.

25 §. 7. *Quanta verò sit Potestas Regis Romanorum, in*
specie

Specie & quod ad Singula attinet Jura Majestatica, ex Articulis Capitulationis addiscitur; Quod verò quantitatem Potestatis Regiæ in genere concernit, ea non est prætereunda, maximè cum illa inter Doctores Juris Publici sit valdè controversa. Bre- viter autem sententiam nostram explicabimus, Eum qui latiora 26 desiderat ad Dn. Schweder. in Introd. Jur. Publ. part. Gen. c. 4. th. 49. cujus tamen opinio non omninò placet, & ibi allegatos remittentes. Puto verò Potestatem illam esse Monarchicam, sed Aristocraticè temperatam & limitatam quidem, ita tamen, ut à potiori seu Monarchicâ sit desumenda denominatio. Quod i pluri 27 temperamentum imprimis ex Capitulatione Cæsareâ haurire licet. Ita enim de Potestate Regis sentiendum & loquendum est, prout Leges Imperii publicæ ipsæ loquuntur. Illæ verò de Potestate Regiâ ita statuunt, quod Status Imperii homagiali Jure Imperatori sint devincti, Ejusque dicantur Subditi; quod Imperator per modum Legis in universo Imperio valituræ Nobiles, Barones, Comites, Principes creet, de Feudis Imperii investiat, summam potestatem judicariam & alia Jura Majestatica exerceat, & quod præterea nullum sit Jus Majesticum etiam cum Electoribus & Statibus Imperii reliquis communicatum, in quo potiora Imperatori non competant. Et quamvis 1.) Im. 28 perator multa in vim pacti promittat, quæ etiam meritò observat, exinde tamen non magis desinit esse Monarcha, quam Servius Tullius Rex Romanorum esse desit, quam Romulus, quod hic, quod libitum, imperitaverit, ille verò Sanctus Legum fuerit, quibus etiam Reges optemperarent. Et quamvis etiam 2.) Status Imperii in Consortium Potestatis non paucis in rebus admittantur & votum Comitiale independenter exerceant, ita ut liberum omnino sit & esse debeat juxta Instr. Pac. Cæsar. Svec. Art. 8. §. Gaudeant. Est tamen illa independentia tantum ratione voti in administrando, non verò ratione Imperii & Potestatis Summæ, quæ Imperatori salva manet, intelligenda vid. Arum.

Arum. de Jur. Publ. Vol. 1. Disc. 1. Boecler. in Not. Imper. Lib. 22.
Et Annot. Nostra ad Ejusd. Lib. 4. cap. 1. ad Quæst. An Status Im-
perii sit Monarchicus?

- 29 §. 8. Antequam hoc Caput finiamus non prætermittenda omninò est quæstio Monarchomachis opposita; *An exui*
rursus Imperator potestate suâ possit, sive ab Electoribus, sive ab
 30 *omnibus Imperii Statibus?* Equidem Moguntinus de Henrico
 IV. dixisse fertur: *Quem meritum investivimus, quare immeri-*
tum non devestiamus? Et Otto IV. Imperator: *Vestri, inquit,*
ô Principes Juris esse fatemur Imperatorem creare simul & destitue-
re; Sicuti ex Helmoldi Chronico & Naucleri Chronographiâ
 refert Hippolithus à Lap. de Rat. Stat. Part. 1. cap. 3. sect. 2. Unde
 31 & multa prostant Exempla destitutorum Imperatorum, ut Hen-
 ricæ IV. Adolphi Nassovii, Wenceslai, aliorumque. Et ratio natura-
 lis hûc facit; Quod, si Imperator conventionis Leges & Pacta
 non servat, etiam Principes Imperii ipso Jure obligationis vin-
 culo censeantur esse soluti, ita ut Jure hostis uti posse videri que-
 32 ant. Sed quia Summi Terrarum Principes potestatem suam
 Regiam immediatè à Deo, non à populo vel Subditis habent,
 prout hoc ipsum in *Elem. Jurispr. Univ. seu Instit. Jur. Nat. &*
Gent. Part. Gen. Sect. 3. cap. 1. Prop. 1. demonstramus. Add. Diss.
Prelim. cap. 4. §. 9. num. 49. Hinc etiam Subditi eam auferre
 Eidem non possunt, sed optimi quidem Principes expetendi,
 qualescunque autem patienter ferendi, & Deo Crimina vindi-
 33 canda sunt relinquenda. Et quamvis Electores soli eligant,
 quod Principes Jus eligendi quod olim omnes habebant, in Ele-
 ctores transtulerint, non tamen idem de Jure exauctorandi
 contigisse constat; Imò potius contrarium patet, quod Status
 Imperii non aliam habeant Potestatem, quam quæ Iphis in Le-
 gibus Imperii est communicata; Nullibi autem data legitur
 34 Potestas in Casu contraventionis destituendi Principem; Ma-
 ximè cum in Juribus non communicatis Princeps absolutâ gau-
 deat

deat potestate, adeoque, quod sine conditione & pacto est reli-
ctum, eidem invito auferri non possit. Neque verò ab Exemplis
judicare licet, quæ quia facti sunt, jus aliquod facere non possunt,
præprimis cum ut plurimum injuriâ contigerint. Non est tamen
negandum, quia ea, quæ limitant ipsius Potestatem, in Cæsarem
nunquam transierint, adeoque ea Sibi arrogare non possit, sed ea
servare Jure divino & naturali ex pacto omninò sit obligatus;
prout hæc latius tam in genere, quàm quoad singulos Imperato-
res olim destitutos, excussimus in *Annotat. ad Boecl. Notit. l. 4. c. 1. n. 5. Define & decessu Imper. add. Lampad. de Republ. Rom. Germ. Part. 3. cap. 3. §. 10. & 11. Boecler. ad Hippolith. à Lapide Part. 1. cap. 3. sect. 2. Reinking. lib. 1. class. 1. c. 5. Reg. Sec. & Eccl. Limn. lib. 2. cap. 11. num. 17. seqq.*



CAPUT VI. DE CAUSA FORMALI ET FINALI ELECTIONIS.

- I. *Modus eligendi in Proœmio ex-
pressus. 1.
Electio Regum Romanorum ex
Familiâ Austriacâ est legitima
& libera. 2.
De Modo Electionis tam in genere
quàm in specie remissivè. 3.*
- II. *Nonnulla de modo deliberandi
circa Capitulationes consicien-
das. 4.
Quomodo Electores ad Vota circa
Capitulationis consfectionem se
accingant? & quid primò
fat? 5.*

- Quid porrò in Casu dissensus? 6.
Quid facto concluso? & quando?
& quomodo Capitulatio Regi
Bohemia communicetur? 7.
Rex Bohemia ad deliberationes
Preparatorias Capitulationis
non admittitur. 8.
Nisi quod in Electione Josephi sin-
gulariter obtigit, ubi quadan-
tenus à rigore recessum vide-
tur. 9.
Finis Electionis & acceptati Im-
perii ultimus, intermedius &
proximus. 10.*

F

Salus

Salus inde in Christianam gentem
redundatura, remisive, 11,

Dignitas Imperii Romani residet
apud Nationem Teutonicam 124

§. 1.

Circa Electionem porrò considerandus Modus quoque eligendi, qui in Proœmio exprimitur per Verba ; *Durch vorgenommene ordentliche Wahl.* Ex quo constat, quod licet
 2 in Familiâ Archiducali Austriacâ, quæ dignitatem Imperatoriam per ducentos, & quod excurrit, annos laudabiliter sustinuit, ex urgentibus causis continuata sit Electio, ordinaria tamen fuerit, hoc est, legitima & libera, nec successionis alicujus Schemate colorata, de quo pluribus agetur *infra ad Art. 35.* Reliqua, quæ
 3 circa modum Electionis tam in genere : *Utrum consultum sit eligi potius Imperatorem, quam nasci?* Item : *Quando Electio vera atque libera in Imperio Romano cœperit ? &c.* quam in specie, quoad *Antecedentia* tum de Loco, tum triplici Electionis tempore, quod vel Intimandi, vel compatendi, vel eligendi statuitur, aliisque, quæ circa vocationem æquè ac comparitionem, nec non jus eligendi ipsum hic cumulari multa solent ; Ut & quoad *Concomitantia* de Juramento Electorali, de Directorio, de sessione & Lateribus, de Votis, ipsorumque Ordine tam in genere, quàm in specie quoad Electionem Caroli V. nec non majoritate Votorum &c. Et denique quoad *Consequentia*, de Privilegiorum, Dignitatum, Juriumque Statuum Confirmatione, de Coronatione duplici vel triplici, deque Jure & ritibus coronandi, nec non de Transactione inter Electorem Moguntinum & Coloniensem A. 1657. d. 16. Junii propterea in itâ, hîc non inutiliter tractari & dici possent, præter ea, quæ *supra* & ad *art. 35. & 36. infra* sunt tacta, lubens prætereo, cum ex Scripturis ad A. B. vel etiam breviter ex *Nostris ad Mylerum de Princ. Imperii cap. 8.* Notis peti possint ; Prolixè etiam de Electione
 ordina.


ordinariâ & extraordinariâ agit Dn. Schvveder, in *Introduc. Jur. Publ. Part. Spec. Sect. 1. cap. 2. & 3.*

§. 2. Inter Antecedentia tamen Electionis non omninò 4
 prætermittendum id, quod maximè hujus loci est, scilicet quod
 ad deliberationes de Capitulatione Cæsareâ conficiendâ, &
 quoad nonnulla Ejus capita augendâ imminuendâve, seu immu-
 tandâ ab Electoribus institueudas attinet; Ubi primò præceden- 5
 tes Capitulationes, inprimis proximè præcedens ad manus sumi,
 & vel seorsim ab uno vel duobus cujusvis Electoris Consiliariis
 prædeliberari, & facta primo à Consiliariis relatione; vel etiam
 statim ab Ipsi Electoribus, præviâ prælectione Capitulationis
 præcedentis, quid ad singulos Articulos monendum, Vota con-
 ferri solent; Et Porro si forte in aliquo puncto dissentiant, vel 6
 etiam ex alicujus Voto novum aliquid emergat, ad rogationem
 Moguntini Electoris nova fit Votorum repetitio, donec vel con-
 sentiant, vel si pares sunt numero in dissentiendo, punctus ille
 omittitur. *Ulterius factò concluso Conceptum in Moguntinâ 7*
Cancellariâ expeditum, denuò revidetur. & deniq; Regi Bohemiæ
biduo ante Electionem communicatur, vel in Senatu Ipsi Re-
gi, prout factum A. 1562. Maximiliano II; & A. 1575. Rudolpho
II, nec non An. 1612. Matthiæ; vel etiam Ipsius Legato in vicino
Conclavi, uti factum A. 1690. Legato Regis Bohemiæ, Comiti
Kinskio in Electione Josephi. De cœtero verò ad delibera- 8
tiones præparatorias Capitulationis, contradicentibus tamen
& Protestantibus Bohemiæ Regibus, Rex Bohemiæ non est ad
missus, nisi quod illud quod in nuperâ Josephi Electione singu- 9
lariter obtigit, prout in Diss. prælim. cap. 3. §. 8. & suprac. 3. §. 11.
diximus, eò interpretari velimus. vid. hic inprimis Protocollum
Electionis Matthiæ Session. IV. V. & VI, apud Dn. Muldenerum
in Capit. Harm.

§. 3. *Finis* tam Electionis quàm acceptati Imperii jam 10
 supra cap. 2. est propositus; Quippe cum *finis ultimus* sit Glo-
 ria

44 CAP. VI. DE CAUS. FORM. ET FINALI ELECT.

Dei, *intermedius* salus publica & Christianæ gentis; *proximus* verò
11 Salus Imperii & Nationis Teutonicæ. Quæ enim inde Salus in
Christianam gentem est redundatura melior dabitur dicendi oc-
12 casio ad *Artic. 1. & subseq.* Præterea & hîc observandum, quod
innuatur, dignitatem Imperii Romani residere apud Nationem
Germanicam; Unde etiam frequens compellatio in Legibus
Imperii occurrit, ubi dicitur, *das heilige Röm. Reich Teutscher*
Nation. Rectissimè enim adhuc hodiè Romanum dici, quam-
vis ad Germanos sit translatum, cum unà cum sua gloriâ, digni-
tate & nomine transmissum sit ad posteros, & quia adhuc in ali-
qua sui parte subsistit, merito nomen retinet, quemadmodum
nec fluvius, qui rivus fit, uti Rhenus, nomen suum amittit *l. 1. ff.*
de Flumin. l. 1. ff. de Riv. l. 30. ff. de A. R. D. Et satis evincunt
ea, quæ habet *Bæcler. in Dissert. de Sacro Rom. Imper. Schutz in*
Colleg. Jur. Publ. Vol. 1. Diss. 1. th. 15. lit. B. Arum. Vol. 1. Jur.
Publ. Disc. 2. & de Translatione Imperii ad Germanos. Disc. 3.
Limn. de 7 P. lib. 1. cap. 4. & Matth. Flacius Illyricus von Aus-
funfft des Römischen Reichs an die Teutschen. Atque hæc de
Causa Obligationis & Potestatis Regiæ seu Electione & Accepta-
tione Imperii Romani dixisse sufficiant!



C A P. VII.
DE PROFESSIONE s. PROMISSIONE
OBLIGATIONIS REGIÆ.

I. Professio obligationis quomodo
fiat in Capitulatione? 1.
Electores obligant Regem non suo
tantum, sed & reliquorum Sta-
tuum Imperii nomine. 2.
Persona Regis Romanorum obli-

gatio integratur Autoritate
Paternâ. 3.
An etiam inter Personas illustres
hoc locum habeat? 4.
Qualis fuerit consensus Romano-
rum Regis? 5.

II. Modus

II. Modus obligandi factus est mediante Conventione. 6.

Vox *Geding* / quid denotet? 7.

III. Materia Obligationis sunt Articuli conventi, 8.

Qua ibi non continentur, illa Ca-

sari sunt reservata, per rationem 1. & 2. 9.

IV. An Imperatori resignare Imperium sit permissum? 10.

Affirmatur, & probatur. 11.

§. I.

PAUCIS tandem ipsa obligationis Regiæ Professio & Promissio tangenda, quæ exprimitur verbis: Wir bekennen öffentlich; Daß Wir Uns dieser nachfolgenden Articuli vereiniget / verglichen / angenommen und zugesaget haben. Continet autem dicta Professio (1) *Personas Obligantes*, Electores scilicet, non 2 suo tantum, sed omnium Principum & Statuum Imperii nomine, *ibi*: Mit denen Chur-Fürsten / vor Sich und Sämtliche Fürsten und Stände des Heiligen Römischen Reichs; Quod idem & in *Epilogo* repetitur, *ibi*: Haben wir den gedachten Chur-Fürsten vor Sich und im Namen des Heil. Römischen Reichs geredt / versprochen *ic.* Diximus enim *Supra in Diss. Prelim. cap. 3.* Electores in Lege hâc Fundamentali & Universali condendâ & præscribendâ repræsentare reliquos quoque Imperii Principes & Statu. Porro & (2.) comprehendit laudata Regis Romanorum 3 Professio *Personam Obligatam* seu Regem Romanorum *in verb.* Daß WIR UNS vereiniget und zugesaget / Quam obligatam Regis Personam, utpote in Pupillari adhuc ætate constitutam, quasi integrat Autoritas Serenissimi Parentis Imperatoris, invictissimi Leopoldi, cujus Consensu Obligatio illa facta est *in verb.* Aus hierzu gegebenen Väterlichen / auch gnädigen Willen / Uti enim Imperium & Potestas Patria in Liberos ex ipso Jure 4 Naturali dependet, adeò, ut Liberi etiam quoad actus suos, & magni imprimis momenti negotia, voluntatem Parentum respicere & revereri debeant; Ita nec Personæ Illustres inde sunt libera; Unde ut à Libervis, in Sacris Paternis adhuc constitutis,

F 3

susceptæ

46 CAP. VII. DE PROFESS. OBLIGATION.

5 susceptæ Obligationes effectum sortiantur, Paterno opus est consensu. Hinc Regis Romanorum Augusti Consensus propter susceptam ad S. R. Imperium Obligationem (1.) plenus est, (2.) liber est, & (3.) benè deliberatus est, quemadmodum id ipsum patet ex verbis Proœmii *ibi*: Aus freyen auch hierzu gegebenen väterlichen Willen / Alles wissentlich / adeoque cum scientia & voluntate liberâ, autoritate interveniente Paternâ, conjunctus.

6 §. 2. Modum obligandi etiam exprimit textus; scilicet, quod per modum Pacti & conventionis, seu conventæ Conditionis *Geding und Pacts Weise* inter Regem & Electores nomine Imperii convenerit. Quamvis enim vox *Geding* etiam sumatur pro Judicio, Unde *Bemeding* Judicium Criminale Westphalicum, *Dingstul* Curia Judicialis, *Märcker Ding* in Wetteraviâ, Judicium circa Limites &c. cujus Judex & Præses est Serenissimus Hassiæ Landgravius, dicitur; Hic tamen idem denotat, ac conventam conditionem *ibi*: *Folgender Articul vereiniget / verglichen / angenommen und zugesaget*; Quæ verba diversam obligandi causam innuunt. Uti enim Vox *vereiniget* Pactiōnem, & *verglichen* Conventionem rei dubiæ instar transactionis alicujus, adeoque antecedentia Imperii delati; Ita Vox *angenommen* / Potestatis limitatæ acceptationem, & denique vox *zugesaget* / Promissionem implementi seu illius, de quo conventum, denotat.

8 §. 3. *Materia* denique seu res, ad quam obligatum se profitetur Rex Romanorum innuitur per verba: *In nachfolgenden Articulen*; ubi fit relatio ad omnes sequentes Capitulationis Articulos. Hinc ultro sequitur: Quæ non habentur in Capitulationis Cæsareæ Capitulis, illa Cæsareæ Potestati non esse limitata, sed potius Eidem reservata. Hoc enim innuunt (1.) expresa verba relativa; *In nachfolgenden Articulen vereiniget und zugesaget*; Ergò quæ in sequentibus Articulis expresa non sunt, de iis non conventum, nec de potestate aliquid communicatum,

tum, sed potius Potestati Regiæ communi sunt relicta & reservata; Restrictio enim illa (2.) est Regiæ potestatis limitatio, adeoque etiam, dum ab ita naturalibus Regiæ potestatis, strictè interpretanda, nec ultra ea quæ conventa sunt, extendenda.

§. 4. Ex quibus porrò judicare licet; *An quoque Imperatori resignare Imperium sit permissum?* Et quamvis ex Conventione & Pacto datum sit & acceptum Regi Romanorum Imperium, à quo invitâ altera Parte recedere non licet. *l. 5. C. de O. & Act.* Unde & Henrico II. dum Imperium resignare tentabat, à Statibus Imperii est contradicatum, & ipse ad Imperii administrationem revocatus est. Sed quia tamen (1.) Capitulationum Pacta ad Articulos conventos restringuntur, adeoque quod in illis articulis non habetur, illius libertati relicta censetur, nullibi autem in Capitulatione de hoc conventum, quod renunciare Imperio non liceat. Imò (2.) Capitulatio obligationem non ad tempus vitæ, sed ad regiminis tempora adstringit *in Art. 1. ibi: Daß wir in Zeit solcher unserer Königlichen Würde/ Ambt und Regierung ic.* adeoque haud obscure resignationem Imperii permittit. Accedit (3.) quod uti unicuique liberum est resignare officium; Ita nec Imperatori, qui maximè omnium liber est, libertas & potestas hæc præcludenda. Unde plura (4.) exempla Resignantium Imperium & novissimè Caroli V. de An. 1556. prostant; quemadmodum Capitulatio *Ferdinandi I. in Proem.* docet, ipsamque Historiam abdicationis legere est *in Wilhelmo Godelevao inter Scriptores Rerum German. Tom. II. Schardii in fin.* Henricus verò II. non tam jure revocatus est ad Imperium, quàm suavis & precibus Statuum; uti videre est apud *Limn. ad Capitul. Ferdinandi I. in Proem. ad voc. Obangeregt Römisch Røyserthumb ic. & in Jur. Publ. lib. 2. cap. 11. n. 2. seqq. & Tom. V. Addit. ad d. loc. & Daniel. Ott. in Jur. Publ. cap. 10. p. 299.* Hinc jure meritoque Imperatori Resignatio est permissa.

CON-

ΕΠΙΜΕΤΡΑ.

I.

F Allitur, egregio quisquis sub Principe credit
Servitium; nunquam libertas gratior extat,
Quam SVB REGE PIO.

II.

Optimo jure rejici possunt, qua nunc in usu
sunt, legationes assidue.

III.

Posse Electores filiis suis impuberibus testamen-
to tutores dare plurimi negant; pauciores affir-
mant, quos animus inclinat sequi.

IV.

Laici etiam post Concilium Lateranense circa
annum D. M C LXXIX, habitum de decimis
possunt infeudari, aliosq; subinfeudare.

V.

Cautio Mutiana praestatur quoque heredibus
legitimis.

VI.

Q. An conscil criminis læsæ majestatis illud
indicare debeant, quamvis probare nequeant?
Ait Bartolus: Baldus & ipsius sectatores negant,
Bartoliq; animam inferno mancipant. Plumbea
ira! Nos Bartolo adstipulamur.








Giessen, Diss. 1700-01
X 241 9304

V017







3

2. D. B. V. Pub. 7. num. 22. 10

DISSERTATIO
DE
OBLIGATIONE
ET POTESTATE REGIS RO-
MANORVM IN GENERE,
OCCASIONE
PROOEMII CAPITVLATIONIS
JOSEPHI,
QVAM
SVB PRÆSIDIO
VIRI CELEBRATISSIMI
D. FRIDERICI NITZSCHII
PHIL. ET JUR. D. ET PROF. PUBL. COM. PAL.
CÆS. CONSIL. ET ASSES. SUMMI HASSIÆ
APPELLATIONUM JUDICII
PATRONI, HOSPITIS ET PRÆCEPTORIS
SVI OPTIMI
PVBL. ERVDITORVM DISQVISIONI
SVMITTIT
FRIDERICVS LVDOV. WALDNER
DE FREVNDSTEIN
DIE VI. JANVARIJ ANNO M DCC.
IN AVDTORIO SOLENNI
GISSÆ HASSORVM.



Excud. JOH. REINHARDVS VVLPIVS, UNIV. TYPOGRAPH.

